THEOLOGICÆ INSTITUTIONES

CUM

RECTA NATURALI RATIONE

UT PLURIMUM CONSOCIATAE

OPERA ET STUDIO

A. R. P. CHERUBINI A PALMA

INTER

MIN. OBSER. PROV. NEAPOLIS

LECTORIS JUBILATI.

TOMUS QUINTUS.

LIB. VII. [illegible]



NEAPOLI

EX TIPOGRAPHIA CAJETANI REALE

1842.

THEOLOGICARUM INSTITUTIONUM

LIBER VII.

DE CHRISTI REDEMPTORIS GRATIA

1. En ergo, studiosissimi Juvenes, absoluto sexto libro de Divini Verbi Incarnatione, animum, et omne studium convertatis opus est ad septimum, in quo sermo erit de fructu Dominicae Incarnationis; scilicet de Gratia Christi Redemptoris. Scio quam ardens sit desiderium vestrum addiscendi doctrinam, quae in illo solet disputari. Et merito quidem, quoniam de medio agitur, et sola causa, cui cooperantes, amissum per Adae peccatum inaestimabile donum ordinis supernaturalis iterum recipere possumus, et aeternam assequi salutem, ad quam unice tota directa est Theologica Facultas. Verum illud vos oportet ut sedulo moneam, sci-

licet, quod si saepe in superioribus libris usi sumus theologica ratione; doctrina, de qua nunc agitur, postulat, ut illa deinceps sileat omnino. Itaque incedimus, et hostes aggredimur auctoritate Sacrarum Scripturarum, et Divina doctrina voce tradita, quam deducemus ex doctrina Sanctorum Patrum, praesertim maximi Doctoris Augustini, qui tantum pro hoc negotio insudavit contra Pelagianos infensissimos Christi Gratiae hostes: et maxime pro stabiliendis, et firmandis fidei veritatibus, adducemus decreta infallibilis Christi Ecclesiae sive in Conciliis Oecumenicis congregatae, sive repraesentatae a suo legitimo Capite Romano Pontifice. Satagite ergo, dum prius multiplicem gratiae acceptionem volvimus.

Divinae Gratiae definitio, et distributio.

2. Gratia generatim significat quodvis bonum collatum sine ullo merito accipientis. Et quidem sic Augustinus gratiam generatim describit serm. LX. de Verb. Dom. dicens: *Ideo gratia dicitur, quia gratis datur. Ideo gratis datur, quia non quasi merces redditur post discretionem meritorum, sed donum datur post veniam delictorum.* Et recte quidem; nam Apostolus ad Rom. cap. IV. v. 4 dicit: *Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.*

3. In hoc universaliori sensu gratia inspecta, ipsius dona dici quoque debent creatio, conservatio, liberum arbitrium, et quaecumque naturalia bona, quoniam ex sola bonitate Dei, nullis nostris praecedentibus meri-

tis, ista omnia habemus. Unde Doctor Augustinus Epist. 177., alias 95, ait: *Non improbanda ratione gratia dici possunt, quia non praecedentibus aliquorum bonorum operum meritis, sed gratuita Dei bonitate donata sunt.* Sed haec gratiae acceptio, quae dicitur gratia Conditoris in ordine naturali, aliena est ab illa, de qua sermo erit in hoc libro, in quo loquimur de gratia Reparatoris, qua datum est iterum ingredi in ordinem supernaturalem, quo privatum fuit humanum genus per peccatum originale, et sic consequi Coelestem gloriam. Sed nihilominus juvat illius meminisse ad majorem intelligentiam aliquorum Sacrae Scripturae testimoniorum, et faciliorem solutionem argumentorum Haereticorum.

4. Gratia ergo Reparatoris, et quae est in ordine ad vitam aeternam, de qua agimus, definitur: *Donum Dei supernaturale rationali creaturae gratis a Deo collatum in tempore ad aeternam beatitudinem consequendam.* Et quoniam gratia sic accepta non solum convenit gratiae, quae nobis in statu naturae lapsae datur per merita Christi Reparatoris, sed etiam illi, quae Protoparenti Adae in statu innocentiae pro supernaturali ordine, et Angelis in illorum creatione impertita fuit, idcirco variam divisionem hujusmodi gratia sortita est.

5. Et quidem primo dividitur in gratiam Creatoris, in ordine tamen ad vitam aeternam, et gratiam Christi Salvatoris, quatenus per illius merita impertitur. Illa est, quae data fuit Adae, et Angelis in illorum creatione in ordine ad aeternam gloriam: haec vero, quae ex meritis Christi in statu naturae lapsae hominibus tri-

buitur, ut iterum in supernaturalem ordinem ingredi possit per fidem, et in bonis operibus perseverare. Duplex propterea est gratia Creatoris, altera scilicet in ordine naturali, et altera in ordine supernaturali. Illa respicit dona naturae, haec vero respiciebat coelestia, et aeterna.

6. Item gratia Redemptoris alia dicitur exterior, uti praedicatio verbi Dei, promulgatio legis, miracula, et quaecumque occasio, quae nos amovet a malo, aut inducit ad recte agendum: et alia proprie dicta est interior, quae reposita est in illustratione intellectus pro cognoscendo vero bono in ordine ad vitam aeternam, et in motione voluntatis ad illud amplectendum, et sequendum, ex quo hominis justificatio sequitur.

7. Rursus gratia interior alia respicit bonum proprium, et peculiare illius, cui confertur, quae communiter dicitur *gratia gratum faciens*, et alia respicit bonum aliorum, et ille, cui a Deo confertur, est veluti instrumentum, et quasi improprie dicitur gratia in proprio sensu accepta, saltem immediate, et directe. Et hujus generis sunt gratia miraculorum, donum linguarum, curationum etc., quae dona potius respiciunt bonum aliorum, quam illius, cui conferuntur; nisi quod et huic quoque praebetur occasio admirandi Dei bonitatem, gratias agendi, seipsum humiliandi etc.

8. Tandem gratia gratum faciens subdividitur in habitualem, et melius sanctificantem, quae jam reddit hominem justum, et gratum Deo; et in gratiam actualem, quae disponit, et dat media pro gratia sanctificante, praevenit, et concomitatur actiones hominis, illustrando intellectum ad rectum judicium efformandum,

et movendo, et corroborando voluntatem juxta judicium intellectus: unde modo praeveniens, et modo concomitans appellatur. De illa habemus in psal. LVIII. v. II. *Misericordia ejus praeveniet me*. Et de concomitante legitur in Psal. XCIII. v. 18. *Misericordia tua, Domine, adjuvabat me.*

9. Hujus autem actualis gratiae, sive praeveniens ipsa sit, sive concomitans, alia communiter praedicatur divisio, scilicet in sufficientem, et efficacem. De illa adducitur testimonium Proverb. cap. I. v. 24. *Vocavi, et renuistis: extendi manum meam, et non fuit, qui aspiceret*. Et da ista affertur illud Ezechielis cap. XXXVI. v. 26. *Dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri, et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum. Et Spiritum meum ponam in medio vestri, et faciam, ut in praeceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis, et operemini*. Sed de his suo loco.

PARTITIO

HUJUS VII. LIBRI DE GRATIA REDEMPTORIS.

10. Quoniam princeps divisio gratiae, quae proprie ad rem nostram pertinet, est, ut diximus, in gratiam actualem, et habitualem, seu sanctificantem: illa praecedit, et est veluti causa, haec vero illam sequitur, et est veluti effectus; idcirco in duas partes hic liber distribuitur. Et quoniam ad nostram justificationem, qua ultimum finem assequimur, qui est aeterna gloria

non sufficit sola gratia actualis, sed requiritur quoque nostra cooperatio, ut haberi possint merita, quia scriptum est: *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit*: propterea altera pars additur, scilicet de merito.

PARS I.

DE GRATIA ACTUALI.

11. Ex varia, et opposita notione circa effectus, et consequentias in genus humanum ex Adae peccato, varia, et opposita systemata locum habuerunt quoad gratiam actualem, et etiam habitualem, sive sanctificantem. Multi errarunt per defectum, scilicet sensientes, quod originale peccatum non fuerit transfusum in omnes, nec propterea humanum genus exclusum fuerit ab ordine supernaturale, quem negant fuisse per gratiam superadditum statui naturali: et alii erraruut per excessum, dicentes, quod non solum amisit humanum genus statum supernaturalem, sed naturalem quoque, quia omnino privatum fuit libero arbitrio, quapropter passive tantum se habent homines sub Redemptoris gratia. Mediam autem viam tenet Catholica fides. Nos enim Confitemur, et propugnamus, totum humanum genus per Adae peccatum prorsus defecisse ex justitia originali, et a statu supernaturali, qui per gratiam, et sub conditione, naturali a Deo additus fuerat; sed quoad statum naturalem fuisse tantum sauciatum, et attenuatum liberum arbitrium, non vero omnino deperditum.

CAPUT I.

De Gratiae actualis necessitate.

12. Duo in hoc primo capite absolvimus. Primo disputabimus contra Pelagianos, aliosque, qui necessitatem gratiae denegarunt, adducendo et refellendo varia illorum systemata. Secundo refutabimus systemata eorum, qui asserentes liberum arbitrium omnino perditum per Adae peccatum, a sola gratia repetebant aeternam salutem. Et tandem pro corollario deducemus, quae sit Ecclesiae Catholicae doctrina.

DISSERTATIO I.

Exponuntur, et refelluntur Systemata Pelagianorum, et Semi-Pelagianorum.

13. *Pelagius* natione Scotus, professione Monachus fuit auctor celeberrimae haeresis, quae suo nomine circumfertur. Ipse sub Rom. Pontifice Innocentio I., et Imperatore Arcadio in Palaestinam profectus, ibi impugnare coepit gratiae actualis necessitatem, et inde existentiam, et sanam doctrinam de transfusione peccati originalis. Itaque impudentissime asseruit, naturam humanam nullimode ex Adae peccato fuisse sauciatam, et idcirco adhuc per se esse sufficientem ad pie vivendum, et aeternam gloriam assequendam. Hinc mirum quot errores disseminaverit circa peccatum originale, liberum hominis arbitrium, et gratiam Salvatoris.

14. Primo, ut habemus ex Concilio Milevitano, et ex Divo Augustino contra Julianum cap. IV. propugnavit, peccatum originale ad summum sola imitatione transfusum fuisse in posteros, et inde dicebat nec concupiscientiam, nec ignorantiam, etiam vincibilem, subjectam esse peccato, sed omnia necessario sequi humanam naturam, sic a Deo conditam.

15. Ex eodem falso principio deducebat, pueros non indigere lavacro baptismatis ad delendum originale peccatum, et aeternam gloriam assequendam, quasi rei sint aliqua culpa, aut propter Adae peccatum amiserint statum supernaturalem; sed solum teneri ex praecepto Redemptoris, qui quasi pro conditione posuit ad introitum in Regnum Coelorum, ut unusquisque baptizetur. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* (Joan. cap. III. v. 5.). Ita Augustinus haeresi 88.

16. Item tanti faciebat liberum arbitrium, ut solum sufficiens illud dixerit ad cavenda omnia mala, ad omnes passiones compescendas, superandas omnes tentationes, et ad omne bonum operandum, ita ut solis naturae viribus (quia in nullo sauciata) possit homo vitam aeternam promereri. Unde per Pelagium gratia nihil aliud est, nisi liberum arbitrium confundendo donum Creatoris, cum gratia Reparatoris. Etsi postea lacessitus argumentis Orthodoxorum admiserit pro subsidio liberi arbitrii legem, et exempla Christi Redemptoris, et etiam quasdam mentis illustrationes.

17. Tandem admisit Pelagius gratiam habitualem et sanctificantem, sed non ut absolute necessariam ad de-

lenda - peccata praeterita, et ad praecavenda futura, quoniam ad haec omnia praestanda sufficiens dicebat liberum arbitrium, sed solum ad facilius operandum.

18. Quamplurimos habuit Pelagius sectatores, quorum celebriores fuerunt Julianus Episcopus Capuae, et Coelestinus Monachus. Quinimo adeo hic pertinaciter sectatus est Pelagii doctrinam, ut inde ejus discipuli appellati fuerint Coelestiani.

19. Contra errorem Pelagianorum multi insurrexerunt Sancti Patres, praesertim Bernardus lib. de Gratia, et libero arbitrio, S. Hieronymus in tribus libris Dialogorum, et maxime omnium Doctor Augustinus, qui incredibile est quot libros conscripserit contra Pelagium, et illius sectatores, praecipue Coelestinum. Et haec ipsa haeresis proscripta a Romanis Pontificibus Innocentio primo, et Coelestino primo, damnata quoque fuit in Conciliis Carthaginensi an. 416., Romano congregato an. 430. sub Coelestino primo, et generali Ephesino anno 431.

Haereticum Systema Semipelagianorum.

20. Damnata haeresi Pelagianorum, nonnulli et scientia, et dignitate conspicui pro zelo defendendi in homine liberum arbitrium, quod prorsus deletum existimabant ex non recte perpensa doctrina Magni Augustini circa gratiae efficaciam, in alium lapsi sunt errorem. Damnabant quidem ipsi Pelagium, et propterea fatebantur, peccatum originale in omnes transfundi, et inde malam dicebant esse concupiscientiam, et agnosce-

bant quoque necessitatem gratiae actualis ad perficienda bona opera ; verum non ad initium fidei , quod esse dicebant a nostro libero arbitrio. Inde factum est , ut dum damnabant Pelagium , qui omnia repetebat a libero arbitrio , reprobarunt quoque , et damnarunt doctrinam Augustini , quasi hic omnia prorsus tribueret gratiae independenter omnino a libero arbitrio. Et idcirco , ut refert. P. Alexander Hist. Eccl. V. saec. cap. III. art. 7. Vincentius Semipelagianus plures propositiones affixit doctrinae Augustini. Scilicet

21. Prima. Dominus noster Jesus Christus non pro omnium hominum salute, et redemptione passus est. II. Deus non vult omnes salvare, etiamsi omnes salvari velint. III. Deus majorem partem humani generis ad hoc creat , ut illam perdat in aeternum. IV. Major pars humani generis ad hoc creatur a Deo , ut non Dei, sed diaboli , faciat voluntatem. V. Peccatorum nostrorum auctor est Deus , eo quod malam faciat voluntatem hominum , plasmet substantiam , quae naturali motu non potest , nisi peccare. VI. Deus tale in hominibus plasmat arbitrium , quale est Daemonum , eo quod proprio motu nihil velit , vel possit , nisi malum. VII. Haec est voluntas Dei, ut magna pars Christianorum salva esse nec possit , vel si maxime velit. VIII. Non vult Deus , ut omnes Catholici in fide catholica perseverent, sed vult Deus , ut magna ex inde pars Sanctorum apostatet. IX. Vult Deus, ut magna pars Sanctorum a Sanctitatis proposito ruat. X. Adulteria , et corruptelae Sacrarum Virginum ideo contingunt , quia illas Deus ad hoc praedestinavit ut caderent. XI. Quando incestant Patres

filias, aut Matres filios, vel quando servi dominos occidunt inde fit, quia ita Deus praedestinavit, ut fieret. XII. Dei praedestinatione efficiuntur de Filiis Dei, filii diaboli, et de templo Sancti Spiritus, templa daemoniorum, et de membris Christi, membra meretricis. XIII. Omnes illi fideles, et Sancti, qui ad aeternam mortem praedestinati sunt, quando ad vomitum suum relabuntur, vitio quidem suo hoc facere videntur: Sed ipsius vitii causa est Divina Praedestinatio, quae illis latenter subtrahit bonas voluntates. XIV. Pars magna illa Christianorum Catholicorum fidelium, atque Sanctorum, quae ad ruinam, et perditionem praedestinata est, etiamsi petat a Deo sanctitatis perseverantiam, non impetrabit: eo quod mutari non potest Divina praedestinatio, quae illos praeordinavit, praeparavit, praeoptavit, ut caderent. XV. Omnes illi fideles, et Sancti, qui ad aeternam mortem praedestinati sunt, postquam ceciderint, sic a Deo dispensantur, ne possint, vel velint per poenitentiam liberari. XVI. Magna pars illa fidelium, atque Sanctorum, quae ad aeternam mortem praedestinata est, quando dicit Deo in oratione Dominica, fiat voluntas tua; nihil aliud, quam contra se petit, idest, ut cadant, et ruant: quia voluntas Dei haec est, ut aeterna morte pereant.

22. Haec absurda, quae bene conveniunt Haereticis Lutheranis, Semipelagiani per calumniam deducebant ex Catholica Augustini doctrina de gratiae efficacia. Etenim, ut hujusmodi pessimos errores vitarent, in multa inciderunt contra communem doctrinam de gratia, et maxime in illud, quod de fide deinceps definitum

fuit in Concilio secundo Arausicano sub Felice IV. R. P. an. 529., scilicet quod non agnoscebant necessitatem gratiae actualis ad initium fidei, ut refert S. Prosper in epistola ad Augustinum. Et in illud etiam mere phantasticum, nempe ideo pueros, qui sine baptismate decedunt, privari aeterna gloria, quia illos Deus praevidit futuros esse malos si vixissent.

23. Plurimi, et quidem viri clarissimi Semipelagianorum doctrinam sequuti fuerunt, et non pravo animo, sed potius errore mentis, ut salvum facerent liberum arbitrium, quod omnino destructum falso arbitrabantur ex non bene intellecta Augustini doctrina contra Pelagium. Sed praecipui fuerunt Episcopi Galli in provinciis Lugdunensi, et Arelatensi, praesertim Massiliae, ex quo factum est, ut Semipelagiani dici soleant Massilienses.

24. Contra Semipelagianos scripserunt S. Augustinus in libris de praedestinatione Sanctorum, et de dono perseverantiae. Item S. Prosper, praesertim in duobus libris de vocatione Gentium; nec non Caesarius Arelatensis.

25. Pelagiani itaque absolute contra fidem Catholicam erraverunt, Semipelagiani autem in aliquibus dumtaxat. Etenim illi quasi nihil concedebant gratiae pro assequenda vita aeterna; et isti in aliquibus solum eidem derogabant. Sed quoniam utrumque errorem pro haeretico damnavit Ecclesia, utrumque et nos ut haereticum rejicimus, et refellimus pro viribus sustinentes sequentes de fide propositiones.

PROPOSITIO I.

Nullum opus bonum dignum vitae aeternae efficere possumus naturae viribus: Sed absolute indigemus Divina interiori gratia praeveniente, et etiam concomitante.

26. *Prob.* Utraque nostrae propositionis pars declarata est a Concilio Tridentino sessione VI. ubi can. primo, secundo, et tertio damnavit oppositam doctrinam Pelagianorum. Etenim in primo decernit. *Si quis dixerit, hominem suis viribus, quae vel per humanae naturae vires, vel per legis doctrinam fiant, absque Divina per Jesum Christum gratia, posse justificari coram Deo; anathema sit.* Si ex can. isto sine Christi gratia justificari nullatenus possumus, quomodo sine gratia ipsa opus quodquam efficere poterimus, quod dignum sit vita aeterna? Nunquid salvi esse poterimus, et ingredi in caelestem gloriam, quin prius justificemur?

27. In secundo autem Canone, ne quis cum Pelagianis dicat, gratiam non esse absolute necessariam, sed tantum ut facilius ponamus opera meritoria, sic loquuntur Concilii Patres. *Si quis dixerit, ad hoc solum divinam gratiam per Christum Jesum dari, ut facilius homo juste vivere, ac vitam aeternam promereri possit; quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed aegre tamen, et difficulter, possit, anathema sit.* Ergo per liberum abitrium, sive per solas naturae vires absolute nullum opus efficere possumus, quo vitam aeternam promereri possimus.

28. Altera autem pars, sicut et confirmatio primae, ad verbum constat ex canone III., qui sic se habet: *Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione* (en necessitas gratiae praevenientis), *atque ejus adjutorio* (en gratia concomitans) *hominem credere, sperare, diligere, aut poenitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; anathema sit.*

29. Sed clare haec catholica veritas constat ex Sacris Scripturis, tam veteris, quam novi Testamenti. Et quidem ex veteri Testamento Isaiae cap. XLII. v. 6. Dominus dicit: *Ducam caecos in viam, quam nesciunt, et in semitis, quas ignoraverunt, ambulare eos faciam.* Ergo sua gratia Deus praevenit, *ducam in viam*, et cooperatur etiam, *ambulare faciam.* Ezechielis cap. XXXVI. v. 26. Sic Deus loquitur. *Dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri, et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum . . . et faciam, ut in praeceptis meis ambulemini, et judicia mea custodiatis, et operemini.* Ergo cor hominum ex se solo est lapideum, et non capax operandi verum bonum, et propterea Dei auxilio indigent, ut in illius praeceptis ambulent. Tandem Jeremiae cap. XXX. v. 21. dicit Dominus. *Applicabo eum, et accedet ad me: quis enim iste est, qui applicet cor suum, ut appropinquet mihi, ait Dominus.* Ergo ex nobis non possumus applicare Deo, sed indigemus praeveniente, et concomitante auxilio ejus, ut per bona opera appropinquemus.

30. Sed luculentiora sunt testimonia ex novo Testa-

mento. Et quidem Joannis cap. VI. v. 44. Christus dicit. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Et cap. XV. v. 5. *Sine me nihil potestis facere.* Quid clarius? Si nihil sine Christi gratia facere possumus, quomodo ex nobis exequi poterimus opera meritoria pro vita aeterna? Et ut innumera praeteream, plusquam satis est illud Apostoli in Epist. II. ad Corinth. cap. III. v. 5. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis: Sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et hoc ipsum confirmat ib. cap. VI. v. 1. dicens: *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Ergo Dei gratia praevenit nostra opera, et postea comitari debet: etenim secus nequidem aliquid bonum ex nobis cogitare possumus, et nisi comitetur, vana esset nobis illam accepisse.

31. Omittimus auctoritatem Sanctorum Patrum, quoniam cuique notum est quanta ipsi scripserunt contra Pelagium infensissimum interioris Dei gratiae hostem, praesertim Divus Augustinus, qui omni via, et totis viribus insectatus est Arianos. Et pro Patribus adducimus auctoritatem Concilii Arausicani, ut antiqua appareat Ecclesiae Doctrina. Itaque sic rem definit in canone IV. *Si quis, ut a peccato purgemur voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per Sancti Spiritus infusionem, et operationem in nos fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti: praeparatur voluntas a Domino, et Apostolo salubriter praedicanti: Deus est, qui operatur in nobis*

velle, *et perficere*. Et canone IX. *Quoties enim bona agimus*, *Deus in nobis*, *atque nobiscum*, *ut operemur*, *operatur*.

32: Haec ipsa catholica veritas sic illustratur theologica ratione. Per peccatum originale amiserunt homines justitiam originalem, et omne jus ad vitam aeternam, quoniam deturbati fuerunt ab ordine supernaturali, qui ex infinita Dei bonitate, et gratia additus fuerat ordini naturali. Nihil dicimus de vitiato quoque statu naturali, propter grave vulnus, quod humanum genus accepit in intellectu, et voluntate. Ergo viribus naturae nihil homines operari possunt, quod sit meritorium pro ordine supernaturali, scilicet pro aeterna vita beata. Verum quidem, quod tantum malum reparatum fuit per Divini Verbi Incarnationem. Sed id facit ad rem nostram, non vero Pelagianorum. Etenim inde sequitur, quod si non absolute, sed dependenter a nostra cooperatione, Redemptionis fructum assequi licet, necessario ad quodcumque opus bonum morale naturale, quod solum a nobis perfici potest viribus naturae, ut sublevetur ad ordinem supernaturalem, et sit meritorium pro vita aeterna, requiritur Redemptoris gratia tam praeveniens, quam concomitans, secus initium salutis, quod utique est bonum ordinis supernaturalis, esset sine Christi gratia, quod implicat in terminis. Ergo dicendum etc.

Solvuntur Objectiones.

33. Multa objiciuntur a Pelagianis. Sed praecipua sunt. I. Apostolus ad Romanos cap. II. v. 14. ait:

Cum enim gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt. Si ergo per Apostolum infideles cum solis naturae viribus legem servare possunt, cur eamdem, item naturaliter servare non poterunt fideles? Sed observantia legis digna est merito aeternae gloriae. Ergo etc.

34. II. Dogma fidei est, quod homo per originis peccatum non amisit liberum arbitrium. Etenim Concilium Tridentinum sess. VI. can. V. decrevit. *Si quis liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum, et extinctum esse, dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum, sine re, figmentum denique a Satana invectum in Ecclesiam; anathema sit.* Ergo sine novo auxilio gratiae potest quodcumque opus bonum facere, et Christi legem servare, ex quo dignus fieri potest vita aeterna.

35. III. Ex Apostolo Deus non est acceptor personarum. Sed talis esset, si gratiae auxilium necessarium esset pro operibus ad salutem spectantibus. Etenim hujusmodi auxilium non omnibus aeque impertitur. Ergo etc.

36. IV. Deus nobis praecipit, ut totam legem servemus, ut pravas extirpemus cupiditates, ut inde aeternam beatitudinem nobis comparemus. Ergo in nostra potestate esse debet sic operari, secus enim impossibilia praecipiendo, non Patris, sed tyrannorum more ageret.

℟. ad singula. Et quidem ad primum dicimus, quod Apostolus loquitur de lege naturali, quae cum sit nota omnibus, quoniam scripta est in corde cujusque, est enim ipsa recta ratio, nemo propterea excusatur ab obser-

vantia illius. Et cum sit vera lex divina, uti demonstravimus in primo libro, idcirco qui contra illam agunt, utique peribunt, etsi legem scriptam non habeant, quae revera est explanatio et determinatio ipsius legis naturae, additis supernaturalibus mysteriis, et Sacramentis, quorum virtute, interveniente Fide Theologica, assequimur aeternam gloriam fructum Redemptionis. Et quidem Apostolus statim subdit. *Ejusmodi legem* (revelatam) *non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.* Non video quid inde pro sui causa concludere poterunt Pelagiani. Procul dubio si lex naturalis est, ut homo vivat secundum suam constitutionem, quisque, absolute loquendo, illam servare potest. Dixi absolute loquendo, quia sauciata humana natura per Adae peccatum, est moraliter impossibile, ut omnia servet, quae ad naturalem ordinem pertinent. Sed hoc dato, et non concesso, nunquid propterea dignus erit homo vita aeterna? Minime quidem, quia per originale peccatum amisimus omnes donum originalis justitiae, ut suo loco dictum est, et omnibus clausa est janua Regni Coelorum, quae non aperitur, nisi per gratiam Christi. Jure quidem dicit Apostolus, quod peribunt, qui naturalem legem non servant, quia voluntarie peccant contra voluntatem Dei, et quidem pereunt negative, et positive, negative propter jam amissam originalis justitiam per Adae peccatum, et positive per peccatum actuale. Sed non ita per se homines qui Dei scriptam le-

gem habent, illam sine praeveniente, et concomitante gratia servare possunt, quia de re agitur, quae est supra ordinem naturalem, et cui necessaria est fides theologica, et vix homo est capax, absolute loquendo, eorum, quae sunt in ordine naturali. Ergo non valet paritas.

Ad secundum dicimus, quod tunc sub auxilio gratiae praevenientis, et concomitantis, quod dicimus absolute necessarium pro operibus meritoriis vitae aeternae, actum esset de libero arbitrio, contra quod definitum fuit a Concilio Tridentino, cum homo interiori gratiae nullimode posset resistere. Sed hoc est falsum, et Ecclesia Catholica reprobavit, et damnavit in eadem V. sessione can. IV. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum, et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat, ac praeparet, neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere; anathema sit.* Gratia igitur potius dici potest auxilium adeo necessarium, ut sine illo nihil homo per liberum arbitrium absolute efficere possit meritorium, pro vita aeterna. Ecquis enim dicere audebit, hominem non libere scribere, ex quo alter ad scribendum excitat, et indiget calamo ut scribat? Sed de hoc redibit sermo, cum videbimus, quod etiam sub gratia, quae dicitur efficax, ex eo quod illam sequitur effectus, integrum tamen manet liberum arbitrium. Non enim libertas facultas est in consulto facere quodvis vel bonum, vel malum, sed agere per electionem juxta dictamen rectae rationis. Et quidem,

nunquid non liber Deus, ex quo non potest, nonnisi bonum, operari? Sed plura suo loco.

Ad tertium dicimus, quod ex Apostolo non est apud Deum acceptio personarum in iis, quae ad justitiam, non vero ad gratiam pertinent. Etenim primo ad Rom. cap. II. dicit. *Tribulatio, et angustia in omnem animam hominis operantis malum, Judaei primum, et Graeci. Gloria autem, et honor, et pax omni operanti bonum, Judaeo primum, et Graeco.* Et inde subdit. *Non enim est acceptio personarum apud Deum.* Cum vero gratia sit donum gratis datum, sine ullo merito recipientis, Deus illam distribuit, prout vult. Sed quoniam, ut suo loco dictum est, Deus voluntate antecedenti sincere vult salutem omnium, et pro omnibus Christus mortuus est, ideo, ut videbimus, Deus cunctis gratiam sufficientem impertitur. Ast non eodem modo et mensura, ut Christus ipse docuit in parabolis de mercede reddita operariis, et de talentis distributis.

Ex dictis patet responsio ad quartum. Tunc enim agitur more tyrannorum, cum exquiritur a subditis, quod nullimode illi praestare poterunt. Sed Deus cum hominibus rationem ponet juxta illorum vires, et gratiam, quam tribuit. Unde Apostolus in supradicto loco dicit. *Quicumque enim sine lege* (scripta) *peccaverunt, sine lege peribunt, et quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur.* Ergo si praecipit Deus ut totam legem servemus, et omnes coerceamus pravos concupiscentiae motus, ad haec omnia praestanda cum sua sufficienti gratia et praecedente, et conco-

mitante nos adjuvat, et nunquam permittit, ut quis supra proprias vires tentetur.

37. Quoniam Adam peccando non solum amisit sanctitatem, et justitiam, in qua constitutus fuerat, et caetera, quae pertinent ad ordinem supernaturalem; sed etiam secundum corpus, et animam in deterius commutatus fuit, juxta doctrinam Concilii Tridentini sess. V. can. I. Et rursus, quia idem Concilium ibidem can. II. definivit, quod Adae peccatum non sibi soli nocuit sed in omnes posteros transfunditur, ita ut (can. III.) sit unicuique proprium, idcirco vindicata absoluta necessitate gratiae praevenientis, et concomitantis pro quocumque opere meritorio vitae aeternae, eamdem necessitatem, (est etiam de fide), verum non absolutam seu ut Theologi dicunt, phisicam, sed moralem, contra eosdem Pelagianos, opus est tueamur pro tota adimplenda naturali lege. Sit ergo

PROPOSITIO II.

Sine gratia nec cognoscere possumus omnes veritates naturales, nec totam naturalem legem servare, nec resistere, et superare graves tentationes.

38. *Prob. prima pars.* Ex primo citato Canone Concilii Tridentini confiteri debemus, primum hominem Adam, cum transgressus est Dei mandatum, non solum amisisse sanctitatem, in qua constitutus fuerat, et caetera dona ordinis supernaturalis, sed etiam *secundum corpus, et animam in deterius commuta-*

tum fuisse. Si in deterius anima Adae per peccatum commutata fuit: ergo non amplius illius intellectus aptus fuit ad omnes cognoscendas veritates, sed saepe opus fuit in errorem decidere in iis, quae ad theoricam partem pertinent legis naturalis. Sed ex can. II. et III. ejusdem sessionis in nos omnes vere transfunditur. Ergo sine gratiae auxilio cognoscere non possumus omnes necessarias veritates ordinis naturalis.

39. Et id confirmatur ex facto. Etenim, ut in primo libro demonstratum est, in quot pessimos errores, et manifesta absurda non deciderunt populi, et quidem non solum rudes, et ignari, sed culti, et qui philosophi nomine gloriabantur? Quinimo quo cultiores fuerunt, eo magis erraverunt, uti habemus de pluralitate Deorum, et de nefandis vitiis, quae tribuerunt illis. Nihil dicimus de regulis morum. Si Deis ipsis tribuebant horrendas spurcitias, si pium existimabant senes parentes interficere, quantum depravati esse non debebant illorum mores, quantum erronea regula vivendi, quantum a veritate aberrans illorum ratio? Dicendum ergo, quod non sufficit humana ratio, prout nunc est, ad omnes naturales veritates cognoscendas, sed opus est divina opitulante gratia, ad necessarias assequendas. Et id eo vel magis, quod magno studio, et longa experientia homo indiget, ut expedita fiat ratio naturalis.

40. Quoad secundam nostrae propositionis partem, quod scilicet in praesenti statu non possumus sine gratia Salvatoris totam legem servare, veritas per se patet, si cum innata nostra imbecillitate conferamus maximam difficultatem quorumdam praeceptorum. Quis enim se

satis firmum cognoscit ad continentiam servandam semper, et in quavis circumstantia, cum violentem in se agnoscit cupiditatem, et concupiscentiae motum? Nunquid validiores nos, quam Auctor lib. Sapientiae, qui cap. VIII. v. 21 de se dixit: *Et ut scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, et hoc ipsum erat Sapientiae, scire cujus esset donum: adii Dominum, et deprecatus sum illum?* Quis videns naturalem inclinationem ad injuriam vindicandam, poterit, sine Divinae gratiae auxilio, illam semper, et ex corde, condonare, et non odio habere, sed potius diligere inimicum, et benefacere illis, qui nos persequuntur? Quis patienter se conformabit semper Dei voluntati in infirmitatibus, in egestate, in aerumnis, et in persecutionibus, maxime si sint cum ingratitudine conjunctae? Non possumus, non possumus sine Redemptoris gratia totam servare naturalem divinam legem.

41. Quod si ita communiter, quid dicendum si addantur periculosae circumstantiae, et graves tentationes? Quomodo simul, et quidem semper, de interioribus, et exterioribus inimicis triumphare poterimus? Si ex Apostolo Paulo ad Galatas cap. V. v. 17. *Caro concupiscit adversum Spiritum, et Spiritus adversus carnem*, quomodo stare poterimus cum impetum in nos faciunt Daemon cum suis sugestionibus, et mundus cum blandimentis, et illecebris? Concludendum igitur, quod sine Redemptoris gratia nec cognoscere possumus etc.

Solvuntur Objectiones.

42. Triplicis generis sunt quae objiciuntur, scilicet ex sacra Scriptura, ex SS. Patribus, et ex naturali ratione. Ex Scripturis I. objiciunt verba, quae leguntur Deuteron. cap. XXX. v. 11. *Mandatum, quod ego praecipio tibi hodie non supra te est.* Si ergo, dicunt, lex, quae per mandatum intelligitur, non est supra hominum vires, procul dubio homines illam totam servare possunt solis naturae viribus. II. Ecclesiastici cap. XV. v. 14. legimus *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui.* Ergo ex se homo, nullo alio interveniente Dei auxilio, potest omnia adimplere, quae sui muneris sunt, scilicet totam naturalem legem servare. III. Et revera Apostolus ad Romanos cap. II. v. 14. testatur, quod ita servabant legem naturalem gentes, quae non habebant legem scriptam: *Cum enim Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt.*

℟. Et quidem ad primum dicimus, quod quidem, quae Deus, maxime per legem naturalem praecipit, non sunt impossibilia. Quinimo si lex naturalis praecipit, ut homo vivat juxta sui naturam, procul dubio illius praecepta non possunt esse absolute supra humanas vires. Sed meminerint adversarii primo, quod non loquimur de impossibilitate physica, sive absoluta, sed morali. Secundo, quod per originale peccatum homo in iis, quae ad ordinem naturalem pertinent sanus non est, sed quoad animam, et corpus fuit in deterius im-

mutatus. Et tertio, quod Deus, qui vult salutem omnium, semper nobis praesto est cum sua gratia, maxime cum ob circumstantias relativa hominum impotentia fit absoluta. Inde ergo fit, ut licet praecepta legis naturalis per se, et separatim considerata, non sint supra hominum vires, tamen si considerentur relative ad circumstantias, et omnia simul, fieri non potest ut perfecte solis naturae viribus serventur. Etenim propter adductam causam humanus intellectus non omnia simul, et constanter clare videt, et rebelles cupiditates adversus rationem obnubilant intellectum, et liberum arbitrium, licet non extinctum, infirmatum tamen, facile itaque labitur in malum; unde necessario requiritur gratia pro totius legis naturae observantia.

Ad secundum respondemus, quod Ecclesiastici verba supponunt Dei gratiam, et declarant, quod sola non sufficit, sed necesse est, ut illi nostris operibus cooperemur. Et quoniam possumus, idcirco verissimum est, quod Deus posuit hominem in manu consilii sui. Id clarissime patet legenti totum illud caput.

Ad tertium dicimus, quod ex adducto Pauli testimonio nihil contra nos deduci potest. Etenim in objecto loco Apostolus loquitur de justo Dei judicio, et retributione, quam retribuet omnibus juxta illorum opera, et id sine acceptione personarum. Unde prius dicit, quod qui legem (scriptam) non habent, sine lege peribunt, et qui in lege (scripta) peccaverunt, secundum legem judicabuntur. Et postea rationem addens, cur merito peribunt, qui non habent legem, dicit quod sunt inexcusabiles pro peccatis suis, quoniam operati sunt contra

legem naturalem, quae communis est omnibus, *ipsi sibi sunt lex, et ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia eorum.* Scopus ergo Apostoli est demonstrare, quod excusari non possunt Gentes de suis offensis contra naturalem legem; quoniam, etsi non tota, et in omnibus arduis praeceptis perfecte servari potest sine Dei gratia, quia tamen (ut supponit) Deus cunctis impertitur gratiam; et voluntarie, et culpabiliter peccaverunt, idcirco ipsi sine lege (scripta) peribunt, quia scilicet non fecerunt, quae naturaliter facere poterant. Itaque non negat Apostolus necessitatem gratiae pro tota lege naturali rite adimplenda, sed solum, quod peccant, qui contra illam agunt. Sed age nunc, et contra Semipelagianos sit sequens de fide

PROPOSITIO III.

Gratia Dei tam praeveniens, quam concomitans necessaria est ad initium Fidei salutaris.

43. *Prob.* primo ex Conciliis. Patres Conc. Arausicani II. ita cap. V. de hac re decretum ediderunt: *Si quis, sicut augumentum, ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis effectum, quo in eum credimus, qui justificat impium, et ad regenerationem baptismatis pervenimus, non per gratiae donum, idest, per ispirationem Spiritus Sancti corrigentem voluntatem nostram, ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse*

dicit ; *Apostolicis dogmatibus adversarius approbatur*. (Apud Boucat dissert. IV. de neces. gr.) Sed omnino facit dogma fidei decretum Conc. Trident. Sess. VI. can. III. in quo sic decrevit : *Si quis dixerit*, *sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione*, *atque ejus adjutorio*, *hominem credere*, *sperare*, *diligere*, *aut poenitere posse*, *sicut oportet*, *ut ei justificationis gratia conferatur* ; *anathema sit*. Et id jam cap. V. ejusdem sess. declaraverat dicens : *Declarat praeterea* (synodus) *ipsius justificationis exordium in adultis a Deo per Christum Jesum*, *praeveniente gratia*, *sumendum esse*, *hoc est ab ejus vocatione*. Et cap. VI. *Disponuntur autem ad ipsam justitiam*, *dum excitati divina gratia*, *et adjuti*, *fidem ex auditu concipientes*, *libere moventur in Deum*.

44. *Prob*. II. ex Scripturis. Jeremiae cap. XXX. v. 21. scriptum est : *Applicabo eum*, *et accedet ad me* : *quis enim iste est*, *qui applicet cor suum*, *et appropinquet mihi*, *ait Dominus* ? Ex quibus sic argumentamur. Procul dubio nonnisi per fidem accedimus ad Deum : sed tunc ad Deum accedimus, cum Deus applicabit nos, et ex nobis non possumus applicare cor nostrum, et appropinquare Deo. Ergo initium fidei non est a nobis, sed ex gratia Dei. II. Joannis cap. VI. postquam Christus v. 40. dixit Judaeis : *Haec est autem voluntas Patris*, *qui misit me* : *omnis*, *qui videt Filium*, *et credit in eum*, *habeat vitam aeternam* : eisdem Judaeis propterea murmurantibus idem Redemptor v. 44. ait : *Nemo potest venire ad me*, *nisi Pater*, *qui misit*

me traxerit eum. Ergo ex Joanne nemo credit in Christum, nisi prius Pater gratia praeveniente, et concomitante traxerit eum. Similibus testimoniis pleni sunt libri novi testamenti, praesertim Epistolae Apost. Pauli I. ad Corinth. cap. VII. ad Ephesios cap. II. ad Philip. cap. I, ad Romanos cap. XI. Sed brevitatis causa illud solum afferimus in I. ad Corinth. cap. IV. v. 7. ex quo se convictum fuisse Augustinus dixit ad suum deponendum errorem. Itaque Apostolus scribit: *Quis enim te discernit? Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Et Sanctus Augustinus in lib. de praedest. Sanct. cap. III. n. 7. ait. *Quo praecipue testimonio etiam ipse convictus sum, cum similiter errarem, putans, fidem, qua in Deum credimus, non esse donum Dei.* Utinam Deus sua gratia similiter quoque emolliat, et inclinet, cor omnium qui Semipelagianorum vestigia sectantur, ut suum errorem abjurantes in sinum Ecclesiae redeant. Concludendum igitur etc.

45. Supervacaneum videtur congerere auctoritates Sanctorum Patrum, qui unanimiter hanc doctrinam docuerunt, et propugnarunt, et maxime omnium Doctor Augustinus, qui tanta scripsit pro tuenda Dei gratia contra Pelagianos, et Semipelagianos, ut gratiae defensor merito appellari possit. Nihilominus unum et alterum adducimus, ex Graecis, et Latinis, scilicet Sanctum Gregorium Nazianzenum, et S. Cyprianum. Ille in orat. XLIV. in Pent. n. 11. ait. *Qui dedit, quod primum est, dabit et quod secundum est.* Et iste in lib. tertio Testimon. ad Quirinum, scribit: *In*

nullo gloriandum , quando nostrum nihil est. Et ne omnino praetereatur Augustinus , afferrimus illius verba in lib. de dono perseverant. cap. XXIII. n. 63. ubi ex consuetudine Ecclesiae orandi pro infidelibus, sic argumentatur. *Quando enim non oratum est in Ecclesia pro infidelibus , atque inimicis ejus , ut crederent ? . . . Nam si haec ab ipso* (Deo) *quidem poscit Ecclesia , sed a seipsa sibi dari putat : non veras , sed perfunctorias orationes habet ; quod absit a nobis. Quis enim veraciter gemat , desiderans accipere , quod orat a Domino , si hoc a seipso se sumere existimat , non ab illo ?* Ergo dicendum etc.

46. Confirmatur tandem Theologica ratione. Procul dubio , ut suo loco dictum est , et hic pro certo ponimus ; homo per peccatum primi Parentis originalem justitiam amisit, et omne jus ad vitam aeternam, et omnino excidit a statu supernaturali ; quinimo et in deterius quoque mutatus est quoad statum naturalem. Ergo viribus naturalibus nihil efficere possumus , quod meritorium esse possit pro ordine illo supernaturali, scilicet pro aeterna vita beata : etenim contradictorium est , ex viribus naturalibus haberi effectum supernaturalem. Verum quidem , quod tantum malum reparatum fuit per Divini Verbi Incarnationem. Sed id mirifice potius favet nostrae causae. Etenim inde sequitur , quod si non absolute , sed dependenter a nostra cooperatione , Redemptionis fructus acquiri potest , necessario ad quodcumque nostrum opus , ut meritorium sit vita aeterna uti est vera Theologica fides comitata a nostris operibus , requiritur Christi gratia et concomitans , et prae-

veniens quoque, quia secus initium fidei, quae est bonum, sive medium, pro bono supernaturale, esset sine Christi gratia. Ergo etc.

Solvuntur Objectiones.

47. Multa objiciuntur a Semipelagianis, et quidem ex Scripturis, ex SS. Patribus, et ex Theologica ratione. Nos nonnulla ex illis afferimus, et breviter dissolvimus. Itaque ex Scripturis, quae maxime urgent, sunt verba Proverb. cap. XVI. v. 1. *Hominis est animam praeparare, et Domini gubernare linguam.* Et ibidem v. 9. *Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus ejus.* Item Zachar. cap. I. v. 3. habemus: *Convertimini ad me, et convertar ad vos.* Ergo, dicunt, si prius est praeparare, et postea gubernare, prius disponere, et postea dirigere, et prius nos converti debemus ad Deum, et postea Deus convertetur ad nos, quis non videt, quod initium nostrae fidei et salutis est a nobis, et Deus complet, et perficit auxilio suae gratiae? Ex novo autem testamento apud Lucam cap. XI. v. 9. Christus dicit: *Petite, et dabitur vobis: quaerite, et invenietis: pulsate, et aperietur vobis.* Ergo initium est a nobis, et perfectio est a gratia Dei. Et Matth. cap. X. v. 11. Christus Apostolis suae fidei praedicatoribus ait: *In quamcumque civitatem, aut castellum intraveritis, interrogate, quis in ea dignus sit, et ibi manete.* Ergo etc.

R. Haec, et similia Scripturarum oracula supponunt

semper praevenientem, et concomitantem Dei gratiam quam omnibus impertitur Deus, ut infra dicemus. Et clare evincitur ab aliis Scripturae testimoniis, quae attulimus in probationibus: et ratio Theologica evidenter evincit, quoniam nullimode fieri potest, ut viribus naturae habeantur opera, ut est fides, quae spectant ad ordinem supernaturalem, ut est vita aeterna.

Itaque sensus testimoniorum, quae in objectione allata sunt, est: Hominis est praeparare animam cum suo assensu gratiae praevenienti, quae nulli denegatur, et Domini est gubernare linguam cum gratia concomitante, et efficaci: Cor hominis assentiendo gratiae praevenienti disponit viam, et Dei est etc. Et pariter dicendum est de aliis. Unde apposite Concilium Tridentinum sess. VI. cap. V. postquam dixit: *Declarat praeterea* (synodus) *ipsius justificationis exordium in adultis a Deo per Christum Jesum, praeveniente gratia, sumendum esse, hoc est ab ejus vocatione, qua, nullis eorum existentibus meritis, vocantur etc.* tandem dicit: *unde in sacris litteris cum dicitur:* Convertimini ad me, et ego convertar ad vos; *libertatis nostrae admonemur. Cum respondemus:* Converte nos Domine, ad te, et convertemur; *nos gratia praeveniri confitemur.*

Ad verba Christi Lucae cap. XI. *petite etc.* eadem est responsio. Et quidem Apostolus ad Romanos cap. VIII. v. 26. scribit: *similiter autem et Spiritus adjuvat infirmitatem nostram: nam quid oremus, sicut oportet, nescimus.* Tandem Matth. VII. ideo Christus ita alloquitur Apostolos, non quasi qui illorum do-

ctrinam audire debebant, prius propria virtute eadem fieri deberent digni, sed ut aliquam prudentiam, et delectum haberent, ne sanam et divinam doctrinam una cum seipsis derisioni exponerent.

Solvuntur objectiones ex Sanctis Patribus.

48. *Ob.* Multi Sancti Patres ex Graecis, et Latinis eamdem prorsus doctrinam docuerunt de gratia, quam postea repetitam a Semipelagianis Ecclesia damnavit. Et quidem I. Clemens Alexandrinus lib. I. Strom. n. 20. scribit. *Preparat ergo Philosophia ei viam muniens, qui a Christo perficitur.* Sanctus Optatus Milevitanus in lib. II. Hist. Donat. ait. *Est enim Christiani nominis, quod bonum est, velle: et in eo, quod bene voluerit, currere, sed homini non est datum perficere . . . quia nostrum est currere, Dei autem perficere.* Sed prae omnibus in pluribus locis Sanctus Chrysostomus apertissime docet doctrinam Semipelagianorum. Sic Hom. XLII. in Gen. ita loquitur de Patriarcha Abraham. *Istud ipsum, quod Patriarcha, qui gratiae tempus; et ante legem fuit, a scipso, et a scientia, quae naturae insita est, in tantum pervenit virtutis fastigium, sufficit, ut omnes nostras excusationes refutet.* Et in Hom. de Daniele etc. dicit: *Postquam omnia, quae ex se erant contulerunt, Deus etiam, quod ex se erat reliquum contulit . . . principia, et exordia erant ab illorum animo, quem cum generosum, et fortem praestitissent, Dei auxilium ad se attraxerunt.* Et ut cae-

tera omittantur, sic loquitur in Hom. XII. in Epist. ad Hebraeos: *Nostrum quidem est praeeligere, et velle; Dei autem est perficere.* Quis ergo non videt, Chrysostomi doctrinam eamdem prorsus esse, ac illa Semipelagianorum. Aut ergo haereticum dicere debemus illum, quod absit, aut ab haeresi excusare istos.

℟. Et quidem I. ad verba Clementis Alexandrini dicimus, quod non excludunt Dei gratiam praevenientem, sed solum indicant, graecam Philosophiam praestare veluti quamdam negativam dispositionem ad sequendam Dei gratiam vocantis ad Christi Religionem, ope, et ministerio praedicationis. Quia igitur philosophia acuit intellectum, et reddit dociliores animos; propterea S. Clemens dicit, quod illa praeparat, et munit viam, quia removet impedimenta naturalia ad libere cooperandum gratiae praevenienti, et vocanti ad salutem.

Ad Sanctum Optatum resp. quod non loquitur de initio fidei, et bonorum operum, de quo res est cum Semipelagianis, sed de vera Sanctitate, et perfectione contra Donatistas, qui superbe illam sibi arrogabant. Id manifeste patet ex verbis antecedentibus, et immediate subsequentibus. Etenim primo dicit: *Vos ipsi* (Donatistae), *qui sancti, et innocentes videri ab hominibus vultis, dicite, unde est ista sanctitas, quam vobis licentius usurpatis? Quam Joannes Apostolus profiteri non audet, qui ait: Si dixerimus etc. Hoc qui dixit, sapienter se ad Dei gratiam reservavit.* Quis dixerit, hic loqui de initio fidei, et non potius de perfectione, et Sanctitate, ad quam praeter gratiam praevenientem, et eidem nostrum assensum, requiritur

gratia concomitans, et efficax, sub consensu semper nostri arbitrii? Deinde sequuntur objecta verba, et postea sic concluditur: *Quia ipse solus* (Deus) *est perfectio, et perfectus solus Dei Filius Christus. Ceteri omnes semi-perfecti sumus.* Quid haec cum errore Semipelagianorum (cf. doctis. Joan. Perr. tract. de Grat. n. 2. §. 88.)

Quoad Chrysostomum, quem nonnulli tam ex haereticis, quam ex Catholicis judicarunt Semipelagianorum pulvere conspersum, dicimus, quod si aliquoties videtur non accurate loqui respectu haeresis Semipelagianorum, in bono sensu tamen accipienda sunt illius verba, tum quia nondum orta erat ista quaestio, tum quia agebatur contra oppositum errorem Marcionitarum et Manichaeorum. Caeterum certi sumus de sana doctrina illius circa necessitatem gratiae praevenientis ex multis locis, praesertim ex hom. XII. in primam Epist. ad Corinth. n. 1. in qua dicit. *Nihil ex te habes, sed a Deo accepisti... Ergo cum acceperis, habes: non hoc, vel illud sed omnia, quae habes: non enim haec tua recte facta sunt, sed ex Dei gratia proveniunt. Si fidem dixeris, ex vocatione illa venit.* Quid clarius pro asserenda necessitate gratiae ad initium fidei? (cf. Bouc. tom. III. art. VI.)

Solvuntur objectiones ex theologica ratione.

49 Semipelagiani sic pro sua causa ratiocinantur. Etsi ex Apostolo fides sit *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium* (ad Hebrae. cap. XI),

tamen necessario impellimur ad credendum, ubi vera adsunt credibilitatis motiva: sive cum humana ratio vere suadet, nullam esse formidinem neque de scientia, neque de sinceritate narrantis. Hinc ex quo evidenter cognoscimus, Deum, ex quo est perfectissimus, neque directe, neque indirecte, neque per se, neque per alios, mentiri posse; ubi aliquam doctrinam videmus veris miraculis confirmatam, tunc tuto concludimus de veritate illius, et naturaliter amplectimur, quoniam miracula, uti actiones contra, vel supra, naturae leges, nonnisi a solo Deo patrari possunt. Ergo sola vi naturalis rationis agnoscimus, amplectimur quoque, profitemur, et tuemur etiam fidem Divinam.

50. Et requidem vera: Philosophi sola naturali ratione demonstrant adversus Irreligionarios, et Naturalistas, Deo deberi Religionis cultum, et quidem non sufficere naturalem, sed necessariam esse divinam Revelationem. Et inde deducunt quoque veritatem Religionis Christianae, quia haec sola, etsi supra humanam rationem sua dogmata tradat, nihil tamen contra eamdem docet. Ergo solius naturae viribus, non solum ducimur ad verae fidei initium, sed etiam ad fidem ipsam.

51. Confirmatur. Sola naturali ratione duce habemus fidem humanam, scilicet amplectimur, et pro certis habemus aliquas veritates, etsi illae sint praeter rationem, et sensum, dummodo solum constat de scientia, et veracitate narrantis. Ergo facilius, et libentius possumus naturaliter habere quoque fidem Divinam, quia evidenter certi sumus de scientia, et veracitate Dei nar-

rantis, vel saltem narrata confirmantis. Neque dicas, quod certi esse non possumus, et omnino persuasi, quod illae veritates sint a Deo revelatae. Etenim pro certo ponimus, quod veris miraculis ipsae sint confirmatae, et propterea confirmatae ab ipso Deo, a quo solum miracula patrari possunt. Ergo etc.

℟. Et quidem ad primum dicimus. Etsi credibilitatis motiva, praesertim miracula multum convincunt humanum intellectum, nunquam tamen movent voluntatem ad amplectendam veram fidem Divinam, nisi gratia Christi praecedat, et comitetur. Id experientia compertum est. Certe credibilitatis motiva ex se majorem habent vim in intellectu hominum philosophorum, et eruditorum, quam rudium, et simplicium. Et tamen videmus, quod rarius illos, quam istos, ad fidem divinam amplectendam inducunt. Quinimo Philosphi prae omnibus tot assurda mostra de Deo, et Religione docuerunt. Cur ita? Quia majori superbia ipsi dominantur, ut Divinae gratiae dociles obediant. Quoad miracula; utique quis, si illa vera sint, convincitur, quod a solo Deo Patri possunt: et quisque etiam fatetur, quod repugnat, ut Deus confirmare possit falsitatem. Sed ubi non viget Dei gratia, homines aut timent ne illa sint ex impostura, et falsa narrentur, aut suspicantur, quod non excedunt naturae vires. Quinimo nisi divina gratia praecedat, et comitetur, etsi homines illa negare non possint, quia coram ipsis patrata, tamen quo magis clara, et stupenda erunt, eo magis illorum corda indurantur. Et quidem, nonne magis induratum fuit cor Pharaonis, cum iidem sui Magi confessi fuerunt, quod

digitus Dei erat in signis Moysis? Nunquid Scribae, et Pharisei amplexati fuere Christi fidem, cum de Redemptoris veris, stupendisque miraculis certi facti fuerunt? Quinimo magis exarsit illorum odium. Quaerebant occidere caecum, qui a Christo visum acceperat, et conati sunt suadere sepulchri custodibus, ut dicerent, quod, ipsis dormientibus, venerunt Discipuli, et furati sunt corpus Jesu. Quid clarius, quod sine gratia praeveniente et comitante, ad nihilum valet convictio intellectus? Sed adde, quod ista omnia evenerunt, et eveniunt etiam in dies, sub auxilio gratiae sufficientis, quam nos dicimus nulli a Deo denegari. Quanto magis ergo pejus esset, sine ullo Dei auxilio!

Inde patet responsio etiam ad secundum. Utique naturali ratione enitimur evincere necessitatem religiosi cultus erga Deum: et inde etiam necessitatem et existentiam Doctrinae revelatae, quoniam ad id sufficiens non est humana ratio sibi relicta. Et verum quoque est, quod validissimis rationibus naturalibus demonstramus, uti jam demonstravimus in priori libro, solam Christianorum Religionem veram esse, quia illa sola non contradicit religioni naturali, quae a Deo est. Sed cum haec peragimus, pro certo ponimus, non deesse gratiam praevenientem illis, quos naturali ratiocinio convincere de veritate conamur.

Ad ultimum dicimus, quod etsi per naturalem rationem, rectam tamen, multo magis tuti sumus de auctoritate Dei loquentis, quam hominum, multo tamen majus discrimen est inter fidem Divinam, et humanam: Haec enim respicit ordinem naturalem, in quo sumus,

illa autem supernaturalem, quem per originale peccatum amisimus, et per solam Christi Redemptionem, et gratiam iterum acquirere possumus. Sed acquirimus per fidem, et baptismum, ut Christus ipse ait: Johan. cap. VI v. 47: *Qui credit in me, habet vitam aeternam*. Ergo fides divina, quae est medium pro assequenda vita beata, quae pertinet ad statum supernaturalem haberi non potest sine praeveniente, et comitante gratia ipsius Christi Redemptoris. Omittimus naturales rationes, praesertim, quod fides humana immediate nititur autoritati narrantis, et non sic fides divina; quocirca, sine gratia homo semper inclinat ad dubitandum, num vera miracula sint, quae portentosa videt, an potius effectus occultarum naturae virium, illusiones, et praestigia, et num vera sint, quae ab aliis narrantur, an vero ficta, aut saltem immutata. Praetermittimus, inquam, quia sufficit adductum discrimen.

DISSERTATIO II.

Exponuntur et rejiciuntur systemata eorum, qui a sola gratia repetentes nostram aeternam salutem, amissum dixerunt liberum arbitrium per Adae peccatum.

52. Rejectis erroribus Pelagianorum, et Semipelagianorum, qui nimis tribuentes viribus naturae, quam integram dicebant post Adae peccatum, male sentiebant de necessitate gratiae; profligamus nunc oportet oppositam haeresim eorum, qui per excessum erraverunt, docentes non solum sauciatam per Adae peccatum hu-

manam naturam, sed amissum fuisse liberum arbitrium, quo ex infinita Dei bonitate respondentes gratiae Salvatoris promereri possimus, et quasi pro mercede assequi aeternam gloriam. Hi fuerunt impiissimi Lutherus, et Calvinus, quibus associati sunt Bajus, et Jansenius. Sed ante illos commenti sunt, qui ex doctrina Magni Augustini male assecuta, pessimos errores circa gratiam docuerunt: et hi Praedestinatiani dicti fuerunt, ex eo, quod praedestinationem ad vitam, vel ad mortem aeternam absolutam, et omnino independenter a libero arbitrio, tuebantur.

53. Quatuor errores illis attribuuntur. I. Liberum hominum arbitrium per Adae peccatum extinctum prorsus fuisse. II. Deus solos praedestinatos vult salvos. III. Christus non pro omnibus, sed solum pro praedestinatis, mortuus est. IV. Qui non salvantur, a Deo praedestinati sunt ad peccatum, et ad mortem aeternam. Sed errores istos, quos videntur Semipelagiani tribuisse Discipulis Augustini, reipsa professi sunt, et docuerunt Lutherus, Calvinus, et eorum discipuli. Sit ergo.

Summa errorum Lutheri, et Calvini.

54. Omissa historia Lutheri, et Calvini, quomodo scilicet a doctrina Catholicae Ecclesiae recesserunt, dicimus, quod revera ipsi amplexi fuerunt quatuor errores, quos sup. §. retulimus docuisse Praedestinatianos. Quinimo et multos alios addiderunt in negotio gratiae Redemptoris actualis, ut videre est de Calvino in ejus lib. I. Institutionum cap. XVIII, et de Luthero in va-

riis locis. Prae ceteris docuerunt, per originale peccatum liberum arbitrium penitus periisse, et illius remansisse solum titulum sine re, quoniam humana voluntas necessario movetur vel a gratia ad bonum, vel a concupiscentia ad malum. Et quamvis liber non sit homo, tamen, dicebant, mala opera vere illi imputari ad peccatum, quia sui culpa in peccandi necessitatem inciderat. Item confundentes originale peccatum cum concupiscentia, dicebant, omnes concupiscentiae motus, etsi naturales sint, et necessarii, esse vera peccata actualia, et mortalia. Et quoniam in omnibus operibus aliquid concupiscentiae invenitur, idcirco dicebant, omnia opera non praedestinatorum esse peccata mortalia. Rursus, eodem innixi principio, quia per Baptismum, sicut per caetera Sacramenta concupiscentia non destruitur, propterea dicebant, peccata non deleri per sacramenta, sed tantum tegi et non imputari, et id sola fide, qua firmiter tenemus, nostra peccata tegi a justitia Christi. Et inde consequenter, quia una, et eadem est justitia Christi, idcirco dicebant, omnes justos esse aequales. Ex his necessario sequebatur, quod per Lutherum, et Calvinum nullimode bona opera conferre possunt ad justificationem hominum, sed sufficere solam fidem. Verum pro fide non intelligebant fidem doctrinae et Mysteriorum Christi religionis, sed fidem promissionis, qua pro certo habemus, peccata nobis non imputari. Hoc tamen discrimen erat inter Lutherum, et Calvinum, quod iste docebat, istiusmodi fidem semel apprehensam nusquam amitti posse; ille autem amitti dicebat per peccata voluntaria, quae proinde, sicut et omnia opera

subsequentia, imputari. Priores errores, veluti manifestas haereses hic rejicimus, et damnamus, ceteros autem deinceps suo loco. Sit itaque de fide.

PROPOSITIO IV.

Per originale peccatum liberum humanum arbitrium non est penitus extinctum : et propterea Lutheri, et Calvini systema de gratia Christi, in quo extinctum asseritur, est falsum, impium, et haereticum.

55. *Prob.* Illud systema falsum est, impium, et haereticum, quod intimo sensui, et rectae rationi contradicit, opponitur luculentissimis Sacrarum Scripturarum testimoniis, et doctrinae Sanctorum Patrum, ex qua agnoscimus divinam, et Apostolicam Traditionem, et solemniter ab Ecclesia damnatum est. Sed tale est systema Lutheri, et Calvini. Ergo etc. *probatur major quoad singulas partes.* Prima assertio Lutheri, et Calvini, quae est fundamentum totius illorum systematis, et ex qua propterea ceteri fluunt errores, est quod per Adae peccatum penitus amissum fuit liberum arbitrium. Sed hoc est evidenter falsum; quoniam quisque se sentit liberum in suis operationibus, et maxime in se determinando, vel suspendendo actum voluntatis sub quavis, etiam evidenti, repraesentatione, et sic, in reiterando aut terminando examen. Ergo etc. Hisce adde quod si liber non esset homo, inutiles prorsus et vanae essent cujuscumque generis leges, praecepta, consilia, minae, et objurgationes, ac injustae quoque poenae, quae legum transgressoribus infliguntur : et pro-

pterea omnino actum esset de quacumque societate, id quod dum falsum constanti experientia videmus, nihil etiam magis ruvinosum excogitari potest humano generi.

56. Opponitur etiam luculentissimis Sacrarum Scripturarum testimoniis. Quippe major pars Scripturarum vel legem, vel praecepta, vel consilia, vel admonitiones exhibet, et praemia, aut poenas recte, aut male operantibus. Sed ad quid ista omnia, si liber non esset homo in suis actionibus? Ergo in Protestantium systemate una cum humana societate tota evertitur nostra Sanctissima Religio. Sed et innumera prorsus sunt testimonia, quae manifeste nostram praedicant libertatem. Isaiae cap. V. v. 4. *Quid est, quod debui ultra facere vineae meae, et non feci ei? An quod expectavi, ut faceret uvas, et fecit labruscas?* Ergo voluntarie populus resistebat Dei gratiae. Zach. cap. I. v. 3. *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, et convertar ad vos.* In Psal. CXVIII. v. 112. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas.* Ecclesiastici cap. XXXI. v. 10. *Qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala, et non fecit.* Unde apposite S. Augustinus in lib. de Spir. et lit. scribit. *Cum potestas datur, non necessitas utique imponitur.* Apostolus ad Philip. cap. II. v. 12. *Cum metu, et tremore vestram salutem operamini.* Et in prima ad Corinth. cap. III. v. 8. *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem. Dei enim sumus adjutores.* Sed clarius ibidem cap. VII. v. 37. *Qui statuit in corde suo*

firmus , non habens necessitatem , potestatem autem habens suae voluntatis. Omittimus , brevitatis causa , innumera caetera testimonia , et sic impium demonstramus idem Protestantium systema.

57. Systema istud Deum facit mendacem , et injustum. Ergo est impium. Et quidem : Ex Luthero , et Calvino , quia destituti sumus libero arbitrio , nostra salus unice repetenda est a Dei gratia , et in nihilo a nostra cooperatione. Sed multi in hoc systemate damnantur. Ergo mendax Deus , qui in Scripturis dicit , se velle salutem omnium. Qui vult , omnes homines salvos fieri (I. ad Timoth. cap. II. v. 4.) et falsum est , Christum mortuum esse pro omnibus ; ut praesertim habemus ex II. Epist. ad Corinth. *Pro omnibus mortuus est Christus* : item Deum non esse acceptorem. *Dominus est in Coelis: et personarum acceptio non est apud eum* (ad Ephes. cap. VI. v. 9.) Mendax , et injustus erit in extremo judicio Christus judex : Mendax , quoniam rationem reddens , quare invitat electos ad Caelestem gloriam , dicet (Matth. cap. XXVI. v. 34 :) *Venite , benedicti Patris mei , possidete paratum vobis regnum . . . Esurivi enim , et dedistis mihi manducaret* , quoniam ad hujusmodi Charitatis opera nullam partem electi habuerunt : injustus autem , quia sine propria actuali culpa impiorum illos damnabit cruciandos aeterno igne, falso illis improperans. *Discedite a me , maledicti , in ignem aeternum . . . Esurivi , et non dedistis mihi manducare* etc.

58. Superfluum videtur exponere sententias SS. Pa-

trum, quoniam uno ore docent, et praedicant hanc veritatem, et nullus est, qui verbum unum protulerit contra nostrum liberum arbitrium, quasi penitus fuerit extinctum ex Adae peccato, et non potius solum attenuatum dixerit. Nihilominus unum, vel alterum afferimus testimonium Sancti Augustini, sub cujus patrocinio suam esse doctrinam falso, et impudenter jactant haeretici. Itaque S. Doctor, qui integrum librum scripsit de gratia, et libero arbitrio contra hunc errorem, sic cap. I. ait. *Quoniam sunt quidam, qui sic gratiam Dei defendunt, ut negent hominis liberum arbitrium: aut quando gratia defenditur, negari existimant liberum arbitrium: hinc aliquid scribere... Compellente mutua charitate, curavi.* Et lib. II. contra Faustum inquit: *Sub fato stellarum nullius hominis genesim ponimus, ut liberum voluntatis arbitrium, quo vel bene, vel male vivitur, propter Dei judicium, ab omni necessitatis vinculo vindicemus.* Nunquid melius, et clarius loqui poterat S. Doctor pro libero arbitrio cooperante in negotio aeternae salutis sub auxilio gratiae preevenientis, et concomitantis?

59. Quod vero hoc systema damnatum sit non solum quoad liberum arbitrium, sed etiam quoad omnes consequentias, quas ex hoc erroneo principio Novatores deducunt, multas habemus Ecclesiae censuras. Sed quoniam omnes amplectitur Sacrosanctum Generale Concilium Tridentinum, proptcrea praesertim congregatum, idcirco satis est illius decreta referre. Itaque ad evertendum erroneum principium, cui tota innititur haeresis Novato-

rum, sic Patres definierunt Sess. VI. cap. VI. can. V. *Si quis liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum, et extinctum esse dixerit, aut rem esse sine titulo, immo titulum sine re, figmentum denique a Satana invectum in Ecclesiam; anathema sit.* et ibidem cap. IV. Et VI. idem decernitur etenim in hoc habemur: *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie, et per se . . anathema sit.* Et in illo: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum, excitatum nihil cooperari, assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat, ac praeparet, neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere, anathema sit.* Quoad consequentias erroneas, sic decretum est sess. V. cum agitur de peccato Originali. *Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quae in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum illud, quod veram, et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari; anathema sit.* Et ibidem, quod pertinet ad concupiscentiam, quam Novatores confundunt cum ipso peccato originali, ita Patres definiunt. *Manere autem in baptisatis concupiscentiam, vel fomitem, haec Sancta Synodus fatetur, et sentit, quae cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter*

per Christi Jesu gratiam repugnantibus , non valet: quinimo qui legitime certaverit , coronabitur. Hanc concupiscentiam , quam aliquando Apostolus peccatum appellat , Sancta Synodus declarat , Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari , quod vere , et proprie in renatis peccatum sit , sed quia ex peccato est , et ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit , anathema sit. Et sic pariter caeterae erroneae consequentiae , quas Lutherus , et Calvinus deducebant ex eodem principio , damnatae fuerunt sequentibus can. praesertim VII. IX. XI. XII. XIII. et XIV. Ergo Systema de Gratia Lutheri , et Calvini est falsum , impium , et haereticum.

Solvuntur Objectiones.

60. Omni genere argumentorum nostram thesim impetunt Haeretici , scilicet ex Scripturis , ex Sanctis Patribus , et naturali ratione ; et quidem modo quoad utrumque statum , naturalem scilicet , et supernaturalem , et modo quoad hunc solum. Itaque quoad utrumque sic Calvinistae argumentantur. Jeremiae cap. X. v. 23. habemus. *Scio , Domine , quia non est hominis via ejus ; nec viri est , ut ambulet , et dirigat gressus suos.* Ergo homo non est liber.

℟. admissa auctoritate , dist. sensum. Non est solius hominis dirigere gressus suos , ut optatum assequatur finem , sed indiget Dei auxilio , sive gratia , qua illustretur ejus intellectus , ne decipiatur in electione , et corroboretur voluntas , et removeantur impedimenta ,

conc. nullimode est hominis via ejus *nego*. Itaque, sicut nos quoque propugnamus; non est in sola potestate hominis recte dirigere gressus suos, sed indiget Dei gratia praeveniente, quae illustret ejus intellectum, et concomitante etiam, ut infirma voluntas inclinetur ad bene operandum: Sed verum est etiam, quod in nostro arbitrio est assentiri, vel dissentire. Quod in hoc sensu accipienda sint verba Jeremiae in objectione allata, id clare patet ex cap. XVIII. v. 11. ubi idem Propheta dicit. *Revertatur unusquisque a via sua mala, et dirigite vias vestras, et studia vestra.* Caeterum plena est Scripturã testimoniorum pro libero nostro arbitrio. Sed sufficit illud Proverb. cap. XVI. v. 9. *Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus ejus.*

61. *C.* Atqui nullimode est in potestate hominis dirigere gressus suos. Ergo etc. *Prob.* Ita res se habet, si homo nequeat corrigi, cum Deus illum despexerit. Sed id praecisis verbis habemus ex Ecclesiaste cap. VII. v. 14. *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit.* Ergo etc.

R. *Dist. sensum.* Non potest corrigi sine gratia, et sine difficultate, *conc.*, non potest absolute, *nego.* Utique sine gratia et praecedente, et concomitante, nullo modo potest ex se solo impius corrigi, et redire in viam salutis, at non ita adjutus gratia Dei. Admodum id etiam difficile est sub auxilio gratiae consuetae, propter pravam consuetudinem peccandi, ex qua factum est, ut magis obnubilatus sit illius intellectus ad clare cognoscendam veritatem, et magis infirma facta sit vo-

luntas., ut contra imperum concupiscentiae inclinetur ad deserendam viam iniquitatis. Sed id tamen non est absolute impossibile, quia auxilio gratiae sufficientis, quam nulli denegat Deus, ut dicemus, potest semper recurrere ad orationes, et humiliter petere a Deo auxilia robustiora, et efficacia ad sui conversionem operandam. Et tunc juxta doctrinam Divi Thomae 1. 2. q. 109. vere dicitur posse operari, quia quod possumus per amicos, per nos ipsos possumus. Unde Apostolus ad Philip. cap. IV. v. 13. scripsit. *Omnia possum in eo, qui me confortat.*

62. *C.* Atqui revera non est in nostra libertate dirigere gressus ad viam salutis aeternae. Ergo etc. *Prob.* Apostolus ad Rom. cap. IX. v. 18. scribit. *Cujus vult* (Deus) *miseretur, et quem vult, indurat.* Ergo si ad sui arbitrium Deus miseretur, aut indurat, et nonnisi illi, quorum miseretur, salvari possunt, et nullimode illi, quos indurat, dicendum, quod nullo modo est in nostra potestate dirigere gressus pro aeterna nostra salute.

R. d.st. sensum allati testimonii: quem vult, indurat negative, scilicet non praebens auxilia robustiora, ex quo fit, ut impius in poenam suorum scelerum perseveret in via pessima, in quam voluntarie ingressus est, *conc.*, indurat positive, *nego.* Itaque Deus non directe, et proprie, ut blasphemat Calvinus, et Puritani, sed improprie, et indirecte, scilicet non miserando, neque praebendo robustiora auxilia, scelestorum corda indurat. Sic enim fit, et merito quidem, ut qui voluntarie restitit gratiae sufficienti, quam, ut hic pro

certo ponimus, Deus omnibus impertitur, ex consuetudine sectandi pravas cupiditates, reperiatur in vera, sed morali tantum, non autem absoluta, necessitate, ut cum sola gratia sufficienti, se retrahat a viis suis. Nec id ullam arguit in Deo injustitiam, nec in sic obduratis defectum libertatis. Non illud quidem, quia cum hujusmodi peccatores Dei gratiae restiterint, et sectati sint impietatem, jam rei facti sunt mortis aeternae, et indigni, quibus majora dona Deus impertiatur. Non aliud, quoniam libere restiterunt gratiae Dei, et propterea nimis infirmi facti sunt, ut possint resistere validioribus inimicis.

63. *C.* Atqui non negative, sed directe, et quidem sine praecedenti causa, Deus obdurat, imo destinat aliquos morti aeternae, sicut alios vitae aeternae pariter sine praecedentibus meritis. Ergo etc. *Prob:* Apostolus post laudata verba statim subdit: *Quid adhuc quaeritur?. Voluntati enim ejus quis resistit? O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit: quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Quid clarius desiderari potest, ut dicamus, quod a solo Deo, et nullimode a nostra voluntate, pendet aeterna mors, aut vita?

℟. Quod nullo modo Paulus in adducto testimonio inficiari velit liberum hominis arbitrium, certum, certissimum est, tum quia praecisis verbis illud asseritur in infinitis Scripturae locis, quinimo quia sine illo supervacanea prorsus esset Scriptura; cum etiam, quia ipse idem illud praedicat, et assserit, praesertim in Epist. I.

ad Corinth. cap. VII. Sed quid significare voluit illis verbis, et exemplo Figuli? Respondemus, quod prioribus verbis exprobat impietatem illorum, qui Deum interrogare audent, cur aliorum miseretur, et aliorum non ita, sed cor indurat, ut dictum est in superiori responsione; et hoc ipsum confirmat exemplo figuli: quasi dicere voluerit: sicut in figuli potestate est, ex eodem figmento fingere vasa quae in honorem, et quae in contumeliam; sic Deus ex eadem massa corrupta, quae tota rea erat morte, et contumelia aeterna, alios peculiari gratia voluit extollere, et alios, qui gratiae restiterunt, relinquere in suis sceleribus, sive, ut diximus, indirecte, et negative indurare. Semper igitur verum, quod id fit, quia voluntarie suae praevenienti, et concomitanti gratiae restiterunt.

Objectiones ex D. Augustino.

64. Multa objiciuntur a Lutheranis, et Calvinistis ex Augustino. Nos pauca seligimus. Et quidem I. dicunt: Aug. in Enchirid. ad Laurentium cap. XXX. n. 9. dicit. *Libero arbitrio male utens homo, et se perdidit, et ipsum.* Et id confirmat in epist. 107. dicens: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus.* Quid clarius? II. In lib. tertio liberi arbit. cap. XVIII. n. 52. dicit. *Illa est enim peccati poena justissima, ut . . . qui recte facere cum posset, noluit; amittat posse cum velit.* III. In lib. de corrept. et grat. cap. XII. n. 38. ita de gratia loquitur. *Subventum est in-*

firmitati voluntatis humanae, *ut divina gratia indeclinabiliter*, *et insuperabiliter ageretur*, *et ideo quamvis infirma*, *non tamen deficeret*, *neque adversitate aliqua vinceretur*. Ex quibus sic argumentantur. Ex Augustino non potest homo resistere gratiae, secus enim non insuperabiliter ageretur ab illa. Ergo quoad salutem non est liber. Sed sibi derelictus, et sine gratia praeveniente, et concomitante, nihil agere potest meritorium pro vita aeterna. Ergo ex Augustino nullimode homo est liber neque ad salutem, neque ad mortem, et utraque est a solo Deo, qui miseretur, cujus vult misereri, et perdit, quos vult.

R. Sanctum Augustinum recte, imo optime sentire de libero hominis arbitrio, et nostra cooperatione ad Salvatoris gratiam, jam vidimus in probationibus (§. 58). Nisi ergo adeo imbecillem, et mutabilem eum facere velint Protestantes, ut aperte sibi contradicat, nullimode illius verba in objectione allata intelligi debent in sensu Haereticorum. Et quidem quoad primum, scilicet verba ad Laurentium, *libero arbitrio male utens* etc., et alia, *liberum arbitrium* etc., dicimus, quod revera Adam abutens libero arbitrio se, et nos perdidit, quia sic privatus est, et cum ipso nos omnes, justitia originali, et vita aeterna: et verum quoque, quod pro statu, et ordine supernaturali, ad quem elevatus fuerat, et a quo libero arbitrio male utens deciderat, omnem omisit facultatem ad eumdem recuperandum. Ergo status ille nullimode post peccatum fuit sub libero hominis arbitrio. Sed non ita si sermo est respectu status naturalis, aut, posita redemptione,

sub auxilio gratiae, de statu etiam supernaturali. Attenuatum quidem fuit pro statu naturali liberum hominis arbitrium, quoniam obnubilatus fuit intellectus ad verum cognoscendum, et in malum inclinata fuit voluntas propter rebellionem carnis a Spiritu: ast non omnino extinctum fuit. Et sic, posita Redemptione, nihil a nobis, sine Redemptoris gratia, fieri potest, quod sit meritorium pro vita aeterna: sed tamen in nostra potestate est respondere, vel dissentire Christi gratiae, quae nemini denegatur; ita ut in nostra potestate quoque sit vita, vel mors aeterna. Quod vero in hoc sensu accipienda sint allata, et alia similia, Augustini verba, patet, inquam, ex ejusdem locis a nobis allatis, et item ex illius epist: ad Bonifacium contra duas Epist. Pelag. cap. II. n. 5; ubi ait: *Quibus autem nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa, quae in Paradiso fuit habendi plenam cum immortalitate justitiam: propter quod natura humana Divina indiget gratia*. Nunquid clarius juxta doctrinam Ecclesiae Catholicae loqui poterat tantus Doctor?

Ad alterum quasi eadem respondemus. Quippe poterat Adam recte facere, et sic non solum sibi, sed nobis etiam servare justitiam originalem, et non amittere statum supernaturalem: sed noluit. Ergo justissima poena illi tributa est, ut quantum ex se est, non amplius possit recte facere, ut iterum illum felicissimum ordinem acquirat. Quod si allata Augustini verba Protestantes interpretari velint de hominis statu per Chri-

stum reparato, tunc dicimus, quod illa verba non intelligenda sunt de impossibilitate physica, et absoluta recte faciendi (sub auxilio gratiae), sed de necessitate morali, quoniam propter imminutam intellectus facultatem, et pravam sensus concupiscentiam, quae dicitur peccati causa, et peccatum in radice, cum multa difficultate potest homo recte facere in rebus essentialibus, et saepe cadit in levioribus: uti habemus Proverb. cap. XXIV. v. 16. *Septies enim in die cadet justus*. Et ita quidem, quia aliunde constat de mente Augustini pro libero nostro arbitrio.

Ad ultimum respondemus, quod Augustinus ibi loquitur de dono perseverantiae, et elevando Christi gratiam, dicit, quod licet per peccatum infirma facta sit nostra voluntas, et ad malum proclivis, secus ac erat voluntas Adae, tamen auxilio gratiae Dei ita movetur, et agitur, ut indeclinabiliter perseveremus in bono, neque deficiamus sub quacumque adversitate, id quod non fecit Adam, etsi sanus, et non infirmus. Et quidem post laudata verba statim subdit S. Doctor. *Ita factum est, ut voluntas hominis invalida, et imbecilla in bono adhuc parvo perseveraret per virtutem Dei, cum voluntas primi hominis fortis, et sana in bono ampliore non perseveraverit*. Sed nunquid perseverantia isthaec liberum destruit arbitrium? Quinimo perficit potius, quia libertas est agere per electionem, et nos illustrati gratia Dei non erramus in eligendo. Perficit, quia nos sumus, qui agnoscentes nostram imbecillitatem libere incessanter, et humiliter hoc donum poscimus a Deo. Si ergo libertas exercetur agendo per electionem,

et eo magis recta erit electio, quo perfectior et magis expedita voluntas in sectando rectum judicium intellectus, quomodo minui poterit, et non potius augetur, humana libertas sub auxilio gratiae, quae intellectum illustrat, et corroborat voluntatem? Nunquid magis liberum dicemus, qui errando sectatur malum, quam qui sapiens eligit bonum, et omni libertate consequenter destitutum Deum, qui nullimode errare potest, nec eligere malum? Procul dubio libertas est donum a Deo datum ad assequendum bonum, et vitandum malum. Sed gratia illustrat intellectum ad verum cognoscendum, et corroborat voluntatem, et expeditam reddit ad sequendum rectum judicium intellectus. Ergo Divina gratia nostram perficit libertatem.

65. Tandem Rationalistae sic theologica ratione argumentantur. Juxta doctrinam omnium ferme Philosophorum homo ex insita sibi naturae vi fertur ad sui perfectionem, et ita quidem, ut nequeat appetere malum sub specie mali, neque rejicere bonum repraesentatum ut bonum. Sed judicium boni, vel mali pendet ab intellectu. Ergo voluntas necessario intellectus judicium sequitur. Ergo si intellectus, qui, ut finitus, aberrare potest, sufficienter illustrabitur a gratia Dei, voluntas necessario assentiri debet gratiae, et inde non libere, sed necessario salutem consequemur. Quod si contra vel nulla, vel insufficiens erit illustratio ad cavendum errorem, tunc voluntas necessario pariter amplectetur malum, et proinde necessario peribimus. Ergo nostra salus, sicut et aeterna mors, unice pendet a gratia Dei, vel ab ejusdem defectu, et nullimode a no-

stro libero arbitrio : et id certe quia totum periit propter Adae peccatum.

a). Jam diximus (§. sup.) quod libertas non est facultas sequi bonum, vel malum ad impetum animi sine discretione, sed velle, et agere per electionem : et ita quidem, ut ipsa non reperiatur, nisi in esse rationale. Et quoniam inde sequitur, ut quo perfectior est intellectus, eo melior erit libertas, idcirco liberrimus est Deus, quia, praeter alias rationes, perfectissimus est illius intellectus, etsi non possit velle malum. Liberi Beati in Coelo amant Deum, quamvis non possint non amare : libere homines appetunt bonum, et aversantur malum in genere, etsi non possint contra agere. Ergo etiam in bono, et malo peculiari eo magis sumus liberi, quo magis a Divina gratia intellectus noster illustratur, ut non decipiatur in aliud ab alio secernendo.

66. Quod si quaeratur, unde ergo repetenda erit malitia illorum, qui gratiae praevenienti, ut dicunt Romanenses, resistunt? Unde illorum culpa, si non voluntarie, sed ex defectu sufficientis illustrationis erraverunt in electione? Certe defectus iste ab ipsis non est, quia gratia praeveniens est a solo Deo. Ergo semper verum, quod non a nobis, sed a solo Deo, hominis mors, et vita pendet.

67. En responsio. Uti in primo libro fusius dictum est, quisque intimo sensu certus est, quod in plena nostra libertate est ad cujuscumque boni, vel mali determinati repraesentationem, nosmetipsos aut determinare, aut suspendere actum voluntatis, et sic repetere examen, ne bonum, vel malum apparens, pro reali accipiendo in

errorem incidamus. Nonnulli ab aliqua sensibili repraesentatione illecti, aut territi ab aliquo actuali malo, et incomodo, pavent ne mutetur judicium intellectus, et sic nolunt nec suspendere actum voluntatis, nec repetere examen, et praecipitando judicium, voluntarie incidunt in errorem. Sed qui voluntarie ponit causam, respondere debet de effectibus: En ergo culpa illorum, qui non assentiuntur interiori Dei gratiae praevenienti, et recusant comitantem. Nec verum est dicere, quod saepe gratia est minor, ut cognoscere possimus veritatem, et resistere vehementioribus concupiscentiae motibus, et magnis tentationibus. Deus enim non patitur, nos supra vires tentari. Caeterum fidelis est, qui tribuat robustiora auxilia, si fideliter respondentes gratiae sufficienti, sed parvae, humiliter, et sincere illum rogamus, maxime per Christi merita, et ejusdem promissiones. Concludendum igitur etc.

Errores Jansenii circa necessitatem gratiae.

68. Erroneum, et haereticum systema Lutheri, et Calvini circa necessitatem gratiae in multis sectati sunt Cornelius Jansenius, Michael Bajus, et Quesnellius. Itaque Jansenius Episcopus Yprensis librum magno volumine composuit, cui titulus: *Augustinus, seu doctrina S. Augustini de humanae naturae sanitate, aegritudine, medicina adversus Pelagianos, et Massilienses.* In hoc libro dum protestatur rigide sequi doctrinam Augustini, imprudenti zelo ductus adversus Pelagianos infensissimos gratiae hostes, in haeresim in-

cidit Lutheranorum destruens liberum arbitrium contra decretum Concilii Tridentini sess. VI. can. IV. et V. Verum quidem, quod praeter voluntatem sic egit. Etenim in suo testamento ita protestatus est. *Si tamen Romana sedes aliquid mutari velit, sum obediens Filius, et illius Ecclesiae, in qua semper usque ad hunc lectum mortis, obediens sum.*

69. Itaque totum ferme Jansenii systema innititur gratia victrici. Quippe defendit gratiam per se efficacem, et necessitantem: et quidem illius efficaciam repetit a delectatione caelesti, quae destruit indifferentiam activam voluntatis. Secundum Jansenium, si delectatio caelestis erit suprabundans, superat delectationem terrenam sibi oppositam, et necessario trahit voluntatem ad actum bonum; et inde gratia dicitur victrix. Contra vero eveniet, si concupiscentia erit superior. Ergo per Jansenium actum est de libero arbitrio. Ergo homo sicut bonum, ita etiam necessario operatur malum; quoniam nullimode in nostra potestate est, ut gratia potius, quam concupiscentia, sit major, et victrix.

70. Ex hoc erroneo principio gratiae victricis fluunt quinque Jansenii propositiones, quae damnatae fuerunt a Theologica Facultate Parisiensi, et postea ab Innocentio X. an. 1653. Et demum etiam a Concilio Tridentino sess. VI. can. IV., et XVIII. ac alibi.

71. Propositiones sunt istae. I. *Aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus, et conantibus, secundum praesentes, quas habent, vires, sunt impossibilia. deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.* II. *Interiori gratiae in statu naturae lapsae*

nunquam resistitur. III. *Ad merendum, et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione* IV. *Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, et etiam ad initium fidei; et in hoc erant haeretici, quod vellent, eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.* V. *Semipelagianorum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.*

72. Prima ex his propositionibus damnata fuit a supradicto summo Pontifice Innocentio X. veluti impia, blasphema, et haeretica. Secunda ut haeretica. Tertia similiter ut haeretica. Quarta, falsa quoad primam partem, et haeretica quoad alteram. Et quinta tandem, ut temeraria, et scandalosa, et etiam impia, blasphema, et haeretica, si intelligatur, quod Christus mortuus sit pro solis praedestinatis.

73. Quod autem revera istae propositiones fluunt a Jansenii systemate de gratia victrice, ut diximus, sic demonstratur. Et quidem quoad primam. Si ex quo caelestis delectatio gratiae interioris erit inferior delectatione terrena non potest humana voluntas huic resistere; necessario nonnulla praecepta erunt impossibilia etiam justis, et conantibus, quia juxta Jansenium gratia est parva, et concupiscentia exaestuans. Quoad secundam. Si gratia erit superior, pari ratione non potest homo illi resistere. Tertia ab eodem principio sequitur etiam. Etenim si semper vincet major delectatio sive caelestis, sive

terrena, ad bonum, vel malum operandum nihil aliud requiritur, nisi ut removeantur exteriora impedimenta, scilicet ut adsit libertas a coactione. De quarta nullum est dubium quoad secundam partem. Etenim si propterea damnantur Pelagiani, quia dicebant, humanam voluntatem posse resistere, et obtemperare interiori gratiae, procul dubio ea de causa id erroneum erat per Jansenium, quia non pendet a voluntate resistere, vel obtemperare sed a gratia victrice, idest a majore, vel minore delectatione caelesti, aut terrena. Et ab eodem principiò fluit etiam quinta. Etenim si ex sola natura gratiae nostra pendet operatio: et sola constans recta operatio ducit ad aeternam salutem, quae est fructus mortis Christi. Et si verum etiam, quod Deus, prout vult, suam confert gratiam, quomodo pro omnibus mortuus dici potest Christus, si ex sola Dei voluntate, et nihil a nobis, nostra pendet aeterna salus?

Erroneum systema Michaelis Baji circa gratiam.

74. Michael Bajus quasi idem systema adoptavit circa gratiam, quod Lutherus, et Calvinus. Et quod mirum est, suos patefecit errores post reditum a Concilio Tridentino, in quo tanta solemnitate damnata fuerat haeresis Novatorum. Verum tamen, quod pertinax non fuit, quoniam suas propositiones a Romanis Pontificibus proscriptas, ipse quoque revocavit, et damnavit.

75. Baji systema in hoc praecipue positum erat: scilicet, quod amisso libero arbitrio per Adae peccatum, homo nunc necessario, et quidem damnabiliter, peccat:

et id, quia concupiscentia, quae est in nobis, peccatum est. Deinde nullum discrimen admittebat inter peccata, sed omnia dicebat mortalia, et digna morte aeterna. Denique dicebat, Pelagianum esse asserere, Deum impossibilia non praecipere. Istiusmodi errores damnati fuerunt a Pio V., et Gregorio XIII., et tandem ab Urbano VII. anno 1664.

76. Recensitis liberi arbitrii hostibus, addi potest Paschasius Quesnellius. Hic in suo libro, cui titulus. *Novum testamentum cum animadversionibus moralibus in singulos versus.* Jansenii, et Baji erroneum systema renovavit. Verum quidem est, quod plures ejus propositiones secundum literam acceptae non videntur contrariae doctrinae Ss. Patrum, praesertim Augustini. Sed tamen omnes solemniter damnatae fuerunt in sensu Auctoris a Clemente XI. R. P. anno 1713 ut captiosae, et haereticae, ut videre est in Constitutione, *Unigenitus* etc.

77. Ut ex dictis patet, fundamentum omnium, qui erraverunt per excessum, nimium scilicet tribuendo gratiae, repositum est in eo, quod extinctum prorsus, non vero imminutum, existimarunt liberum arbitrium ex Adae peccato. Cum ergo dogma catholicum jam supra demonstratum, et vindicatum sit adversus Lutherum, et Calvinum; idcirco totum ruat necesse est systema ipsorum. Nihilominus ne de nimia brevitate arguamur, aliqua visum est sigillatim dicere contra erroneas consequentias, quae ex illo principio a Novatoribus deducuntur. Et quoniam non omnes ad hoc primum caput de necessitate gratiae pertinent, ideo illas solum modo,

quae sunt propriae hujus loci, et principaliores, breviter attingimus. Sit ergo

PROPOSITIO V.

Non omnia Infidelium opera sunt peccata : quinimo multa etiam possunt esse moraliter bona, in ordine tamen naturali, non vero Supernaturali.

78. *Prob. prima pars.* quae pertinet ad doctrinam catholicam, ex eo quod damnata fuit propositio opposita. Quae in Scripturis vel praecipiuntur infidelibus, vel postquam facta sunt, laudantur, vel remunerantur mercede, procul dubio peccata esse non possunt, sed potius sunt virtutes ordinis naturalis. Sed Daniel, ut habemus ex ejus libro cap. IV. v. 24. certe Dei nomine consuluit, et praecepit Nabuchodonosori Pagano, ut eleemosyna redimeret peccata. *Consilium meum placeat tibi, et peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Ergo eleemosyna erogata ab Infidelibus non solum peccatum non est, sed peccata redimit, quoad ordinem naturalem. Item Exodi cap. I. laudantur Obstetrices Ægyptiorum eo quod timentes Deum contra jussa Pharaonis fecerant salvando pueros Hebraeorum : quin etiam mercedem a Deo receperunt : *Benefecit Deus obstetricibus, et quia timuerunt Deum aedificavit eis domos* (v. 21.). Et quamvis mentitae sint Regi, tamen peccatum istud non destruxit illorum bonum opus misericordiae. Unde Augustinus in lib. contra mendacium

cap. XV. v. 32. de illis dicit. *Non est in eis remunerata fallacia , sed benevolentia , benignitas mentis , non iniquitas mentientis*. Rursus : Ezechielis cap. XXIX. idem Nabuchodonosor remuneratus fuit a Deo: et Romani pro suis virtutibus laudantur in lib. Machab. cap. VIII. Sed tandem rem conficit Apostolus ad Rom. cap. II. v. 14. ubi ait. *Gentes , quae legem non habent , ea , quae legis sunt , naturaliter faciunt.* Procul dubio lex naturalis est vera lex divina , est enim, ut in primo libro demonstratum est , voluntas Dei , qui omnibus numeris est verus noster superior , et absolutus Dominus , et eadem sufficientissime manifestata, quia scripta in corde omnium ; et poenis , et praemio simul sancita. Sed repugnat omnino , ut sit peccatum , et non potius virtus , servare Dei legem , et ejusdem facere voluntatem. Ergo si Infideles ex Apostolo naturalem servant legem , aut servare possunt , si non in omnibus , saltem in multis , quomodo peccata dicemus omnia illorum opera , et non potius multa etiam asseramus virtuosa , etsi in solo ordine naturali ?

79. *Prob.* secundo ex Ss. Patribus. Origenes lib. II. explanans supradictum Pauli testimonium ad Romanos , inquit. *Sed et Graecus idest Gentilis , qui cum legem non habeat , ipse sibi est lex , ostendens opus legis in corde suo . . . vel justitiam teneat , vel castitatem servet , vel prudentiam, temperantiam , modestiamque custodiat : iste licet alienus a vita videatur aeterna , quia non credit Christo ; et intrare non possit in regnum Coelorum , quia renatus non est ex aqua , et Spiritu Sancto , videturque per ea,*

quae dicuntur ab Apostolo bonorum operum gloriam, et honorem, et pacem perdere penitus non posse. S. Hieronymus in primum cap. Epist. ad Galatas, scribit. *Multi absque fide, et Evangelio Christi, vel sapienter faciunt aliqua, vel sancte.* Chrysostomus hom. LXVII. ad Pop. Antioch. inquit. *Nemo est usque adeo malus, qui non habeat aliquid boni, cujus ratione mereatur aliquod bonum temporale.* Sed prae omnibus sic Doctor Angelicus suo more rationem addens loquitur II. II. quaest. 10. art. 4. *Tametsi Infideles divina gratia careant, quia tamen ex infidelitate non corrumpitur totum naturae bonum, possunt aliquid boni operari; quamquam id non sit meritorium vitae aeternae.*

80. *Prob.* ex auctoritate Ecclesiae tum a Summis Pontificibus repraesentatae, cum congregatae in Conciliis Oecumenicis. Itaque S. Pius V., et Gregorius XIII. varias ad hoc propositum damnarunt Baji propositiones, et praesertim XXVIII., et XXXVIII., quarum illa sic se habet. *Liberum arbitrium sine Dei gratiae adjutorio nonnisi ad peccandum valet.* Si ergo falsa, et erronea est propositio isthaec, vera et catholica erit illius contradictoria, scilicet. *Potest liberum hominis arbitrium sine adjutorio gratiae aliquid operari, quod non sit peccatum, sed bonum ordinis naturalis.* Altera Baji propositio erat. *Omnis amor creaturae naturalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur; aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur.* Ergo vera, et catholica dicenda est contradictoria, scilicet.

Datur amor honestus ordinis naturalis, qui nec est vitiosa cupiditas, nec supernaturalis Dei charitas, sed quid medium. Et hoc ipsum definitum fuit a Concilio Tridentino sess. VI. can. VII. *Si quis dixerit, opera omnia, quae ante justificationem, quacumque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri . . . anathema sit.*

81. *Prob.* Breviter Theologica ratione. In duplici statu Deus posuit Adam, naturali, et supernaturali. Sed quae facit Deus, non possunt non esse bona in suo genere. Ergo uterque bonus in suo genere fuit ille status, et bonae, et virtuosae, quaeque in suo ordine, actiones Adae, et posterorum ejus, quae Dei fini responderent. Peccavit Adam, et propterea cum toto humano genere ejectus est a statu supernaturali, amisit originalem justitiam, et reus factus est mortis aeternae. Quoad vero statum naturalem, non totus iste corruit, sed tantum fuit vitiatus: non omnino fuit extinctum liberum arbitrium, sed solum sauciatum, et attritum. Ergo status iste, qui utpote a Deo bonus est, si non totus nunc, ut prius erat, in parte tamen bonus est. Ergo pariter omnes operationes illae, quae, homines operantur juxta dictamen rationis bonae, et virtuosae sunt in ordine naturali. Et quidem in hoc ordine, etsi vitiato, habemus tamen legem naturalem, quae est vera Divina lex, et ipsam, si non perfecte in omnibus, in multis tamen, servari posse ab hominibus solius naturae viribus, tam certum est, ut inexcusabiles dicantur, qui contra illam peccant. Sed servare Dei legem, illius obtemperare voluntati, bonum est, et virtuosum: ergo bonae, et vir-

tuosae sunt in ordine naturali, omnes illae Infidelium actiones, quae sunt juxta legem naturalem.

Solvuntur Objectiones.

82. *Ob.* Apostolus ad Rom. cap. XIV. v. 23. scribit. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est.* Sed nulla Infidelium opera sunt ex fide. Ergo omnia sunt peccata. II. Idem Apostolus ad Titum cap. I. v. 15. ait. *Omnia munda mundis: coinquinatis autem, et infidelibus nihil est mundum, sed inquinatae sunt eorum mens, et conscientiae.* Sed omne inquinatum apud Deum est peccatum. Ergo etc. III. Idem ipse Apostolus ad Hebraeos cap. XI. v. 6. inquit. *Sine fides autem impossibile est placere Deo.* Dicendum ergo, quod omnia Infidelium opera, quia Deo non placent, sunt peccata. Tandem Christus ipse apud Matth. cap. XII. v. 30 dicit. *Qui non est mecum, contra me est: et qui non congregat mecum, spargit.* Sed Infideles non sunt cum Christo; nec cum gratia illius congregant. Ergo sunt contra Christum, et dispergunt, scilicet semper cum agunt, peccant.

℟. Et quidem ad primum dicimus, quod Apostolus in allato testimonio per fidem intelligit practicum conscientiae dictamen, ita ut sensus sit: *omne quod non est juxta dictamen conscientiae, peccatum est.* Id clare patet ex quo Apostolus ibi perstringit quosdam Judaeos, qui cum putarent, licet erronee, legem Mosaicam adhuc obligare, manducabant tamen de cibis in illa prohibitis. Itaque ex hoc loco illud unum deduci

debet, quod scilicet conscientia est regula proxima recte operandi, ita ut, qui conscientiam erroneam deponere non possunt, peccant si agant contra illam. Haec est communis hujus loci interpretatio. Et ita etiam exponit Oecumenicum Concilium Lateranense IV. cap. XLI. dicens. *Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide praescriptio, tam canonica, quam civilis.*

Ad secundum eadem quasi est responsio. Vult enim Apostolus significare, quod Judaeis illis, qui ad Christum conversi recte credebant, legem Mosaicam, quoad caeremonias, et cibos, non amplius obligare; omnes cibos, etsi per Moysen prohibitos, esse mundos, et licitos: sicut et immundos esse infidelibus, illis scilicet, qui erronee non credebant, legem illam cessasse. Ita Origenes, Chrysostomus, Theodoretus, et maxime Augustinus, qui in libro III. cap. IV. contra Julianum dicit, opera istorum Judaeorum esse aliquo modo immunda, ex eo quod credebant, legem Mosaicam adhuc obligare.

Ad tertium dicimus, quod ibi Apostolus loquitur de fide Theologica, et de statu supernaturali; et propterea dicit, quod sine fide impossibile est placere Deo, ita ut illius amicitiam per originale peccatum amissam, sicut et originalem justitiam, possimus acquirere. Et hoc non solum concedimus, sed pro viribus tuemur. Et cum dicimus, non omnia Infidelium opera esse peccata, sed nonnulla esse etiam bona, id intelligimus de solo ordine naturali, non vero quasi illa digna esse possint aeternae gloriae.

Ad ultimum dicimus quod allata Christi verba apud Matth. potius favent nostrae catholicae veritati. Etenim si ibi exprobat Christus duritiam Judaeorum, qui adeo obstinate resistebant illius vocationi, ut etiam darent in manifestam calumniam dicendo quod in Beelzebub ille ejiciebat Daemonia, quis non videt, quod obstinate resistebant peculiarissimae Dei gratiae tam praevenienti, quam comitanti? Merito ergo illis dicebat Christus, quod si sub tam miris prodigiis non convertabantur, et non erant cum ipso, contra ipsum erant; non cum ipso colligebant, sed spargebant, et pessime peccabant, et quidem contra Spiritum Sanctum, scilicet contra intimum sensum, ex quo irremisibile fieret illorum peccatum, ut immediate Christus ipse subdit. *Ideo dico vobis: omne peccatum, et blasphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blasphemia non remittetur.*

PROPOSITIO VI.

Sine gratia sanctificante potest homo sub auxilio actualis Christi gratiae opera moraliter bona perficere: et id non solum in ordine naturali, sed etiam supernaturali. Ergo peccata non sunt omnia opera illorum, qui gratia sanctificante sunt destituti.

83. Haec propositio, quae ad fidem pertinet, sic demonstratur. Opera, quae Deus praecipit ut media ad assequendam gratiam sanctificantem, procul dubio bona moralia dicenda sunt non solum pro ordine naturali, sed etiam supernaturali, quoniam ordinis supernaturalis est gratia sanctificans, ad quam diriguntur. Sed

multa hujusmodi opera Deus peccatoribus praecipit; et quae propterea peccatores efficere possunt. Ergo etc. *Prob. min.* Ezechielis cap. XVIII. habemus. *Convertimini, et agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas.* Ergo agere poenitentiam, quod est in potestate hominum peccatorum, secus frustra praeciperetur, est opus bonum pro utroque statu, naturali scilicet, et supernaturali. Item Danielis cap. IV. v. 26. legitur. *Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Ergo eleemosyna, erogata sub auxilio gratiae, ut supponitur, est medium ad assequendam veniam peccatorum, et consequenter gratiam sanctificantem. Rursus Lucae cap. XVIII. Publicanus justificatus est per sinceram, et humilem confessionem suorum peccatorum. Tandem Actorum cap. X. habemus, quod Cornelius Gentilis orationibus, et eleemosynis obtinuit a Deo gratiam fidei in Christum, et inde justificationis.

84. Omittimus, brevitatis causa, auctoritatem Sanctorum Patrum, et unum afferimus Sanctum Augustinum, cujus doctrinam Novatores, et maxime Iansenius, se sequi mentiuntur. Itaque Sanctus iste Doctor in omnibus ferme suis scriptis insinuat poenitentiam, opera misericordiae, sinceram confessionem peccatorum, et maxime orationem, et dicit inexcusabiles esse peccatores, si non convertantur, quoniam voluntarie praedicta media non adhibent. Ergo per Augustinum non omnes hominum peccatorum actiones totidem sunt peccata, uti blasphemant Novatores, sed multa sunt, vel

saltem esse possunt, veluti media pro remissione peccatorum, et assequenda gratia justificationis.

85. *Prob.* unica brevissima theologica ratione. Si nullum opus moraliter bonum homo sine gratia justificante efficere posset, etiam sub auxilio gratiae actualis, et id pro utroque statu naturali, et supernaturali, sed contra omnia essent peccata; certe poenitentia, et caetera opera, quae Deus praecipit hominibus, non exclusa resipiscentia ab iniquitatibus, totidem essent peccata. Sed repugnat, ut Deus peccata praecipiat, et ut retractatio peccatorum sit peccatum. Ergo etc. Et quidem si obedire Deo esset peccatum, et peccatum quoque resilire a peccatis, certe verae essent propositiones contradictoriae: scilicet, quod virtuosum sit Deo non obedire; et in peccatis perseverare. Sed nunquid majus absurdum poterit excogitari? Dicendum ergo etc.

86. Sed videamus, quid sentit hac in re Ecclesia Catholica, a cujus infallibili judicio habentur fidei dogmata. Itaque Concilium Constantiense sess. XV. inter alios hunc damnavit articulum Wicleffi, et Joannis Hus. *Si homo est vitiosus, et agit quidquam, tunc agit vitiose; et si est virtuosus, et agit quidquam, tunc agit virtuose: quia sicut vitium, quod crimen dicitur, seu mortale peccatum, inficit universaliter actus hominis vitiosi: sic virtus vivificat omnes actus hominis virtuosi* (conf. Perr. de grat. §. 159. n. 1.). Concilium Tridentinum sess. VI. can. VII. definit. *Si quis dixerit, opera omnia, quae ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri, aut quanto*

vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare; anathema sit. Et can. VIII. *Si quis dixerit, gehennae metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere; anathema sit.* Pius V. et Gregorius XIII. damnarunt propositiones XXXV. et XL. Baji: quarum illa sic se habet: *Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.* Et altera. *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.* Tandem Clemens XI. in constitutione *Unigenitus* damnavit propositionem XLV. Quesnelli. *Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat.* Et sic pariter propositionem LIX. *Oratio impiorum est novum peccatum, et quod Deus illis concedit, est novum in eos judicium.*

Solvuntur objectiones.

87. *Ob.* Proverb. cap. XV. v. 8. Scriptum est. *Victimae impiorum abominabiles Domino.* II. Isaiae cap. I. v. 13. Deus dicit. *Ne offeratis ultra sacrificium frustra: incensum abominatio est mihi. Neomeniam, et sabatum, et festivitates alias non feram: iniqui sunt coetus vestri.* III. Matth. cap. VII. v. 18. *Non potest arbor mala bonos fructus facere.* IV. Joan. cap. IX. v. 31. *Peccatores Deus non audit.* V. Et merito quidem: etenim Apostolus in I.

ad Timoth. cap. VI. v. 10. inquit. *Radix enim omnium malorum est cupiditas.* Cum ergo peccatores agant semper ex cupiditate, quae charitati est opposita, idcirco omnia illorum opera sunt mala, et nulla esse possunt bona.

℟. Et quidem ad primum dicimus, quod verba Proverbiorum, victimae etc, ut dicit Cornelius a Lap., et Bellarminus, intelligenda sunt de illis, qui scelestam vitam ducentes suam salutem reponebant in victimis, et sacrificiis; non vero de illis peccatoribus, qui rite, humiliter, et ex corde sacrificia offerunt, aut suas ad Deum fundunt preces, ut misericordiam consequantur.

Ad secundum similis est responsio. Quippe Deus arguit Judaeos, qui non sincere, et ex corde, sed ex hypocrisi, et per ostentationem offerebant sacrificia, et festa celebrabant. Merito igitur dixit, quod illorum incensum erat sibi abominatio, et quod non ferebat Neomeniam, sabatum, et festa.

Ad tertium dicimus, quod comparatio non intelligenda est de impossibilitate absoluta, sed morali. Et quidem in allato loco eodem modo, quo arbores malae non possunt facere fructus bonos, scilicet peccatores non possunt facere opera bona; sic quoque arbores bonae, scilicet justi non possunt facere opera mala. Sed nemo dixerit, quod absolute repugnat, ut justi peccent, et decidant a sua justitia. Ergo sic pariter peccatores possunt facere opera bona (semper sub auxilio gratiae), et sic se disponere ad justificationem per gratiam efficacem.

Ad quartum respondemus cum distinctione. Peccatores non audit Deus, cum quae terrena, et indigna sunt,

petunt, ut solent facere, *conc*. Cum petunt, quae sunt justa, et spectant Regnum Dei, maxime sui conversionem, et poenitentiam, *neg*. Veritas allatae distinctionis patet ex pluribus Scripturae locis, et praesertim ex publicano, cujus preces utique Deus audivit, propter quod e templo discessit justificatus.

Tandem ad verba Apostoli in I. ad Timoth. dicimus, quod ibi Apostolus loquitur de avaritia, ex qua cum originem habeant multa mala, et nullum morale bonum, idcirco illam appellat radicem omnium, scilicet multorum malorum. Sed quoniam non dicit, quod qui gratia justificante carent, semper, et necessario, agere debent ex hujusmodi cupiditate, idcirco allata verba non faciunt ad rem nostram.

Doctrina Ecclesiae Catholicae circa gratiae actualis necessitatem.

88. Ex confutatis erroribus inter se oppositis, Pelagianorum scilicet, et Protestantium, per se patet, quae sit doctrina nostrae catholicae Ecclesiae circa necessitatem gratiae actualis. Et quidem, quia nostra Ecclesia tenet, quod ex originale peccato humanum genus prorsus quidem dejectum fuit a statu supernaturali, verum, quod ad naturalem spectat, solum fuisse in deterius commutatum, ut definitum fuit a Concilio Tridentino sess. V. ita ut sensus rebellaverit a recta ratione, obnubilatus fuerit intellectus in cognitione veri boni, et inde sauciatum quoque liberum arbitrium, sed non tamen penitus fuerit extinctum: propterea ex hoc

principio medio, ut per se patet, inter principia falsa Heterodoxorum necessario fluunt consequentiae oppositae tam erroribus Pelagianorum, qui rejiciebant necessitatem gratiae actualis, quam Protestantium, qui omnia tribuentes gratiae, rejiciebant liberam cooperationem hominis.

89. Itaque contra Pelagianos doctrina Ecclesiae est, quod nihil omnino naturalibus viribus efficere possumus, quod sit meritorium pro vita aeterna, sed in omnibus, etiam ad initium fidei contra Semipelagianos, indigemus auxilio gratiae tam praevenientis, quam comitantis. Et id, quia actiones ordinis naturalis nullam proportionem habere possunt cum rebus status supernaturalis, quem per originale peccatum totum humanum genus penitus amisit, nec potest iterum acquirere, nisi per veram fidem in Christum Reparatorem.

90. Sed ex eodem principio, quod scilicet distinquit duplicem hominis statum, et tenet, supernaturalem fuisse per Adae peccatum penitus amissum, et naturalem fuisse solum in deterius commutatum; idcirco contra Protestantes docet: I. liberum arbitrium non fuisse omnino extinctum. II. Non omnia Infidelium opera esse peccata, sed multa esse posse etiam bona, pro solo tamen statu naturali, et nullimode meritoria vitae aeternae. III. Non omnia pariter opera eorum, qui gratiam sanctificantem non habent, esse peccata: sed multa esse posse bona non solum pro statu naturali, sed etiam supernaturali; et id sub auxilio gratiae tam praevenientis, quam comitantis. Nec id contradicit cum superiori doctrina circa opera Infidelium, quia supponitur, quod

qui actu gratia sanctificante carent, Christi fidem non amiserunt. Et haec quoad primum hoc caput. Caetera videbimus deinceps suo loco.

CAPUT II.

Num gratia actualis sit prorsus gratuita.

91. Pelagiani, et Semipelagiani eodem quique suo innixi principio, quo negabant necessitatem gratiae praevenientis, et comitantis, ut dictum est in superiori capite, utrique, etsi non pari modo, negarunt quoque ejusdem gratiae gratuitatem. Pelagiani, qui dicebant solius naturae viribus posse hominem in praesenti statu perficere opera meritoria pro vita aeterna, et gratiam nonnisi hoc solum praestare, ut facilius operemur, dixerunt quoque hanc ipsam facilius operandi gratiam a Deo tribui juxta merita cujusque: et inde sequebatur, ut eamdem gratiam de condigno mereremur. Semipelagiani autem, qui solum initium fidei dicebant esse a nobis sine auxilio gratiae; sed gratiam tamen omnino necessariam ad perficiendam fidem, et omnia illius opera, dicebant pariter hanc perficiendi gratiam a Deo dari, quia a nobis jam positum est initium fidei. Et ex inde fiebat, ut licet talis gratia sit praeter nostra merita, sit saltem de congruo, quoniam non praecedit, sed sequitur initium fidei, et salutis jam a nobis positum.

92. Sed Ecclesia Catholica, quae tenet per Adae peccatum supernaturalem statum, et ordinem fuisse pror-

sus amissum : et credit, ac docet solis naturae viribus, sive sola gratia Conditoris, nihil ex se hominem efficere posse, quod ullo modo possit esse medium pro recuperando amisso statu supernaturali, eodem modo, quo tenet, novam Redemptoris gratiam omnino necessariam esse non solum ad perficienda meritoria pro aeterna salute, sed etiam ad initium fidei; tenet quoque et docet, quod ex nullo nostro praecedenti merito, neque condigna dispositione, sed ex sola sua bonitate, et misericordia utramque actualem gratiam praevenientem, et comitantem confert. Et quoniam in nostro arbitrio semper est respondere, vel resistere, inde fit, ut suum locum habeat nostrum meritum, et gloria retribuatur quasi pro corona, et mercede. Sed id suo loco. Interim sit nostra de fide

PROPOSITIO VII.

Gratia actualis est prorsus gratuita, ita ut neque de condigno, neque de congruo, ullis naturae viribus possit homo illam mereri.

93. *Prob.* I. ex veteri testamento. In Psal. XXIV. v. 11. habemus. *Universae viae Domini misericordia.* Sed quod totum est ex misericordia, est prorsus gratuitum. Ergo gratia, qua fas est ambulare vias Domini, est omnino gratuita. Et Psal. CXVIII. v. 36. *Inclina cor meum, Deus, in testimonia tua.* Ergo non a viribus naturae, sed a Deo habere possumus gratiam praevenientem, quae inclinet cor nostrum, et

adjuvet ad servandam legem salutis. Item Proverb. cap. VIII. juxta versionem LXX. legitur: *Praeparatur voluntas a Domino*. Sed voluntas praeparatur per gratiam praevenientem. Ergo Deus est, qui gratuito, sine ullo nostro merito, et dispositione, gratiam praevenientem confert. Tandem Ieremiae cap. XXX. v. 21. *Applicabo eum, et accedet ad me*. Ergo ex sola Dei bonitate nobis confertur gratia, qua cor nostrum movetur, ut accedat ad Deum.

94. Sed id evidentissime colligitur ex innumeris testimoniis librorum novi foederis. Pauca seligimus. Joannis cap. XV. v. 5. habemus. *Sine me nihil potestis facere*. Sed si gratia daretur sive de condigno, sive de congruo, tunc multum potius, non vero nihil, ex nobis efficere possemus, scilicet mereri gratiam, quae est medium perficiendi omnia. Ergo etc. Apostolus ad Rom. cap. XI. v. 35. dicit: *Quis prior dedit illi, ut retribuatur ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia*. Si ergo nihil nos prius damus Deo, ut veluti pro mercede ille nobis retribuat gratiam, omnia sunt ab ipso, quomodo non omnino gratuita erit illius gratia? Item: ad Ephesios cap. II. v. 8. scribit: *Gratia estis salvati per fidem: et hoc non ex vobis. Dei enim donum est; non ex operibus, ut ne quis glorietur*. Quid clarius? Tandem idem Apostolus in Epist. II. ad Timoth. cap. I. v. 9. sic clarissime loquitur: *Qui nos liberavit, et vocavit, vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, et gratiam, quae data est nobis in Christo Jesu*.

95. *Prob.* II. ex Sanctis Patribus, ex quibus, brevitatis causa, duos seligimus, scilicet D. Thomam, et magnum Augustinum. Itaque S. Thomas in 1. 2. quaest. 109. art. V. ait: *Vita autem aeterna est finis excedens proportionem naturae humanae . . . Et ideo homo per sua naturalia non potest producere opera meritora proportionata vitae aeternae, sed ad hoc exigitur ulterior virtus, quae est virtus gratiae.* Ergo gratia non est homini ex natura, nec ullo modo illi debita. Et ibidem quaest. 112. art. III. scribit: *Potest igitur praeparatio dupliciter considerari, uno quidem modo, secundum quod est a libero arbitrio, et secundum hoc nullam necessitatem habet ad gratiae consecutionem: quia donum gratiae excedit omnem praeparationem virtutis humanae. Alio modo potest considerari secundum quod est a Deo movente; et tunc habet necessitatem ad id, ad quod ordinatur a Deo, non quidem coactionis, sed infallibilitatis.* Et Sanctus *Augustinus* in libro *de Praedest. Sanctorum* cap. III. n. 7. scripsit. *Non est gratia, si merita ulla naturae praecedant, ne jam quod datur, non secundum gratiam, sed secundum debitum, reddatur potius meritis, quam donetur.* Et ibidem cap. XII. n. 23. ait: *Sed omnis haec ratio, qua defendimus gratiam per Jesum Christum Dominum nostrum vere esse gratiam, idest, non secundum merita nostra dari, quamvis evidentissime divinorum eloquiorum testimoniis asseratur; tamen apud eos, qui, nisi aliquid sibi assignent, quod priores dent, ut retribuatur eis, ab*

omni studio pietatis reprimi se putant, laborant aliquantulum in aetate Majorum jam utentium voluntatis arbitrio: sed ubi venitur ad parvulos, vel ad ipsum Mediatorem Dei, et hominum Christum Jesum omnis deficit praecedentium gratiam Dei humanorum assertio meritorum: quia nec illi ullis bonis praecedentibus meritis discernuntur a ceteris, ut pertineant ad Liberatorem hominum, nec ille ullis humanis praecedentibus meritis, cum et ipse sit homo, liberator factus est hominum. Et ut cetera innumera praetermittam, Sanctus iste in toto libro de *Praedest. Sanctorum*, uti de fide certum propugnat, praedestinationem ad gratiam esse mere gratuitam. Ergo ex S. Augustino gratia actualis est omnino gratuita etc. Et quidem sic praedictum librum inchoat: *Ego autem, quamvis me moleste ferre confiteor, quod divinis eloquiis, quibus Dei gratia praedicatur, quae omnino nulla est, si secundum merita nostra datur, tam multis, manifestisque non creditur.*

96. Conf. theologica ratione. Certum de fide est, quod per originale peccatum totum humanus genus amisit originalem justitiam, et omnino decidit ex statu supernaturali. Sed solis naturae viribus, et eo vel minus quod ex eodem peccato homo etiam in naturalibus infirmatus fuit, nullimode recuperari potest originalis justitia, nec status supernaturalis, quia inter naturalia, et supernaturalia nulla adest proportio. Ergo ex se homo nonnisi vix operari potest, quae respiciunt ordinem naturalem. Sed gratia respicit ordinem supernaturalem. Ergo viribus naturae nullimode potest homo illam me-

reri. Et requidem vera, qui per seipsum potest habere medium, quo assequatur, vel saltem assequi possit finem, ille recte dicitur, quod ex se assequi potest finem ipsum. Sed homo ex se nullimode assequi potest finem, scilicet justificationem pro aeterna vita beata. Ergo nullimode etiam assequi potest medium, videlicet gratiam.

97. II. Procul dubio gratia est initium salutis, et assimilari potest semini, quod si foveatur, germinat; et si recte custodiatur germen, suo tempore producet fructum. Sic gratia, si ab homine foveatur cum sua assentione, germinat fidem, et ex fide rite servata habebitur tandem vita aeterna. Sed ut supra de fide demonstratum est contra Semipelagianos, initium fidei non est a nobis, sed indiget Dei gratia praeveniente, et comitante. Ergo etc.

98. III. Gratia est Dei donum gratis datum. Ergo ita sine praecedentibus meritis confertur, ut secus non gratia, sed retributio potius, et merces diceretur. Unde Augustinus sic perstringebat adversarios gratiae: *Quare gratia? Quia gratis datur. Quare gratis datur? Quia merita tua non praecesserunt, sed beneficia Dei te praevenerunt.* Concludendum igitur etc.

99. *Prob.* tandem ex auctoritate Ecclesiae, ex qua habemus doctrinam fidei. Itaque Concilium Rausicanum II. cap. VI. sic definit: *Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, petentibus, quaerentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitus; non autem ut credamus . . . Et aut humilitati, aut ho-*

bedientiae humanae subjungit gratiae adjutorium... resistit Apostolo dicenti : quid habes , quod non accepisti etc. Et cap. XVIII. *Nullis meritis gratiam praevenientibus , debetur merces bonis operibus , si fiant : sed gratia , quae non debetur , praecedit , ut fiant.* Et jam Pelagius prius adstrictus fuit a Patribus Synodi Dispolitanae confiteri , gratiam Dei non dari secundum merita nostra.

Solvuntur objectiones ex Scripturis.

100. Varia objiciuntur a Pelagianis , et Semipelagianis tam ex Scripturis , quam ex Sanctis Patribus. Et quidem ex Scripturis modo se gerunt negative , infirmando scilicet testimonia, quibus orthodoxi utuntur pro suo dogmate firmando , et modo positive , adducendo nonnulla Scripturarum loca , ex quibus suum errorem directe conantur evincere. Primo modo agunt apud Augustinum lib. II. de *Peccat. merit.* cap. XVIII , ubi generatim ad omnia testimonia evacuanda , quae a nobis afferuntur , dicunt. *Ideo quidquid bonae voluntatis habet homo , Deo tribuendum est , quia et hoc in illo esse non potest , si homo ipse non esset: cum vero ut sit aliquid , atque ut homo sit , non habeat, nisi a Deo , ipsum meritum Deo auctori tribuendum est.* Itaque Pelagiani dicunt , quod quia Deus est auctor naturae , sive creator noster , idcirco in Scripturis dicitur auctor omnium , quae viribus naturae nos agimus. Ergo si ex Scripturis gratia quandoque videtur praecedere, id intelligendum est de gratia Dei creatoris.

Quod si, dicunt Semipelagiani, novam Redemptoris gratiam necessariam dicere velimus, ea necessaria est ad perficiendam fidem, et inde opera meritoria pro vita aeterna, non vero ad ipsius fidei initium, quod est opus imperfectum, et simplex donum naturale, quo idonei reddimur ad accipiendam verae fidei gratiam. Et propterea id non adversatur verbis Apostoli: *Quid habes, quod non accepisti:* nec aliis similibus Scripturarum locis.

1. Et quidem ad primum, quod est Pelagianorum, dicimus, quod velint, nolint, admittere debent duplicem statum, et ordinem in primo homine Ada, naturalem scilicet, et supernaturalem; secus enim totam everterent Scripturam, praesertim Pauli Epistolas. Supernaturalis penitus fuit amissus per originale peccatum, quoniam prorsus Adam et pro se, et pro suis posteris, privatus fuit justitia originali: et etiam status naturalis in multis labefactatus est. Sed fides, et initium fidei, pertinent ad statum supernaturalem. Ergo nullimode ex se, solis naturae viribus, scilicet ex gratia Creatoris, potest homo hujusmodi fidem, et fidei initium ponere sine nova gratia Redemptoris tam praeveniente, quam comitante. Et propterea Scripturarum loca, quae nos afferimus pro necessitate gratiae actualis, et quae Deo tribuunt nostrae salutis initium, in hoc sensu accipienda sunt. Et Sanctus Augustinus ad allatum Pelagianorum argumentum respondens ait. *Hoc modo etiam illud dici potest, malam voluntatem Deo auctori tribuendam, quia nec ipsa esse potest in homine, nisi homo esset, in quo esset.*

Ad alterum Semipelagianorum eadem est reponsio. Nam etsi initium fidei sit opus imperfectum, non vero ipsa fides tamen, quia ad fidem directum est, quae est medium pro vita aeterna, ipsum etiam spectat ad ordinem, et statum supernaturalem, ad quem penitus amissum per originale peccatum, ut iterum acquiratur, necessario requiritur gratia Redemptoris: nec proinde aliter stare posset doctrina Apostoli. *Quis te discernit? Quid habes, quod non accepisti?* Unde Augustinus in lib. *de Praedest. Sanct.* cap. V. ait. *Prius dixit: Quis te discernit? Et deinde, quid habes, quod non accepisti? Posset quippe dicere homo inflatus adversus alterum: discernit me fides mea, justitia mea.*

101. Positive autem sic Pelagiani ex Scriptura nos urgent. Zach. cap. I. v. 3. habemus. *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, et convertar ad vos, dicit Dominus exercituum.* Item Malech. cap. III. v. 7. *Revertimini ad me, et revertar ad vos, dicit Dominus exercituum.* Ergo prius nos convertamur oportet ad Deum, ut Deus per gratiam convertatur ad nos: et propterea nostra opera, licet naturali honestate, debent praecedere gratiam. Et id praecisis verbis asseritur Proverb. cap. XVI. v. 1., scilicet. *Hominis est animam praeparare, et Domini gubernare linguam.* Et hoc ipsum habemus ex innumeris ferme locis librorum novi Foederis, praesertim ex Evangelio Matth., et ex Apostolo Paulo. Apud Matth. cap. XXV. v. 15. Christus comparans Deum Patrifamilias, dicit: *Et uni dedit quinque talenta, alii duo,*

alii vero unum , unicuique secundum propriam virtutem. Ergo Deus sua dona , scilicet gratiam , impertitur juxta nostram naturalem virtutem. Et Apostolus ad Romanos cap. VII. v. 18. de seipso dicit : *Velle adjacet mihi : Perficere autem bonum non invenio.* Ergo , dicunt Semipelagiani , initium fidei est a nobis, et gratiae est perficere : Et propterea gratia confertur , si non de condigno , saltem de congruo.

℟. Haec , et omnia alia sacrae Scripturae loca , quae opponi solent a Pelagianis , et Semipelagianis , omnia pro certo ponunt , quod praecedat gratia , quae dicitur praeveniens , quae nulli deest , ut suo loco dicetur. Unde Concilium Tridentinum sess. VI. cap. V. sic ad omnia respondet sua infallibili auctoritate. *Declarat praeterea* (S. Synodus) *ipsius justificationis exordium in adultis a Deo per Christum Jesum , praeveniente gratia , sumendum esse , hoc est ab ejus vocatione , qua , nullis eorum existentibus meritis , vocantur ; ut qui per peccata a Deo aversi erant , per ejus excitantem , atque adjuvantem, gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem , et eidem gratiae libere assentiendo , et cooperando , disponatur ; ita ut , tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem , neque homo ipse nihil omnino agat , inspirationem illam recipiens , quippe qui illam et abjicere potest , neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit : unde in sacris litteris cum dicitur : Convertimini ad me , et ego convertar ad vos , libertatis nostrae admonemur. Cum responde-*

mus: *converte nos* , *Domine* , *ad te* , *et convertemur*; *nos gratia praeveniri confitemur.*

Patet ergo , quod verba Zach. *Convertimini ad me* etc. et illa Malech. *Revertimini ad me* etc. nos admonent de nostra libertate , qua possumus respondere gratiae , recedere a viis iniquitatis , et reverti ad viam salutis , supposita semper gratia praeveniente , et comitante. *Converte nos* , *Domine*. Et sic pariter verba Proverb. *Hominis est animam praeparare* , scilicet respondere gratiae praevenienti , et Domini est gubernare linguam , scilicet adjuvando cum gratia comitante ad operandum , et etiam cum gratia uberiore perducendo ad felicem exitum. Verba autem de variis talentis apud Matth. cap. XXV. bene quoque eodem modo intelligi possunt : scilicet , quod Deus , secundum nostram virtutem , quam adquirimus respondendo , et cooperando gratiae praevenienti , impertitur deinceps gratias uberiores. Et sic pariter denique intelligenda sunt verba Apostoli ad Romanos cap. VII. *Velle adjacet mihi* etc. scilicet : in mea potestate est respondere gratiae praevenienti , et sic velle bonum : sed in meipso non est perficire , verum opus est majoris gratiae auxilio.

Solvuntur objectiones ex Sanctis Patribus

102. Multa testimonia sanctorum Patrum objiciunt Pelagiani , et praesertim Chrysostomi , Augustini , et D. Thomae. Nos pauca ex his solvenda afferimus. Itaque dicunt. Chrysostomus adeo clare , et saepe , docet, initium fidei esse a nobis , et propterea gratiam , si

non de condigno, saltem de congruo, ut Vasquez disput. LXXIX. cap. IV. non dubitaverit asserere, Chrysostomum substinuisse doctrinam Semipelagianorum. Et merito quidem: etenim Chrysostomus Hom. XVII. dicit. *Hinc admonemur, Deum suis in nos beneficiis nostras non praevenire voluntates, sed a nobis incipiendum esse.* Nunquid clarius loqui poterat in favorem Semipelagianorum?

103. II. Sanctus Augustinus in Opusc. contra Porfyr. (apud de Fulgure), loquens de Religione Christiana, inquit: *Salus hujus Religionis, per quam solam veram salus vera, veraciterque promittitur, nulli unquam defuit, et cui defuit, dignus non fuit.* Ergo ex Augustino gratia confertur dignis, scilicet praeviis hominum dispositionibus.

104. III. Idipsum, et forsan magis clare, docet Angelicus Doctor. Etenim q. XXIV. de verit. art. 1. ad 2. dicit. *Quamvis gratiam, quae opera meritoria facit, non possit homo ex libero arbitrio acquirere; potest tamen se ad gratiam habendam praeparare, si fecerit, quod in se est.* Et en in verbis doctrina Semipelagianorum.

℟. Et quidem ad objectum Chrysostomi locum dicimus, quod licet ibi, et etiam alibi, videtur extollere liberum arbitrium, quin simul mentionem faciat de necessitate gratiae praevenientis, ex eo id factum est, quia nondum exorta erat haeresis Pelagianorum adversus gratiam. Caeterum, quod S. iste Doctor semper pro certo posuerit necessitatem gratiae praevenientis, patet manifeste ex aliis suis Homiliis, maxime ex Hom. IV. in

caput II. Epist. ad Ephesios, in qua dicit. *Ne beneficiorum magnitudo extollat te, vide quomodo te reprimit: Gratia, inquit, per fidem. Deinde ne rursus liberum arbitrium perimeretur, nostra etiam adhibuit, atque iterum illud idem sustulit, et hoc non ex nobis. Num enim fides, inquit, ex vobis? . . . Illud ipsum donum, donum Dei est, ne quis glorietur, ut nos erga gratiam gratos reddat.* Nunquid rectius de necessitate gratiae praevenientis sentire poterat Chrysostomus?

Ad Augustinum quod pertinet, dicimus, quod ipse idem in lib. II. *Retract.* cap. XIII. respondet ad objecta verba, dicens: *Hoc non ita dixi, tanquam ex meritis suis quisquam dignus fuerit, sed quemadmodum ait Apostolus: Non ex operibus, sed ex vocante.* (Rom. cap. IX.).

Tandem ad verba Angelici Doctoris dicimus, quod idem ipse docet, quo sensu accipienda sint, scilicet semper sub auxilio gratiae praevenientis. Etenim in lect. III. ad caput I. Epist. ad Romanos dicit. *Hoc ipsum, quod aliqui faciunt quod in se est, convertendo se scilicet ad Deum, ex Deo est movente corda ipsorum, secundum illud Thren. V. Converte nos, Domine, ad te, et convertemur.*

CAPUT III.

De natura gratiae actualis respectu cooperationis hominum.

105. Dei gratiam actualem tam praevenientem, quam comitantem, absolute nobis necessariam esse ad quodcumque opus bonum ordinis supernaturalis, et etiam ad initium fidei, jam de fide demonstratum est contra Pelagianos, Semipelagianos, et Jansenistas. Item ex confutato systemate Protestantium patet quoque, quod ad opera salutis aeternae perficienda ex doctrina fidei Catholicae requiritur liber noster assensus ipsi gratiae actuali, et ita quidem, ut semper in nostra potestate sit assentiri, vel dissentire, uti expresse definitum fuit a concilio Tridentino sess. VI. can. IV. Itaque sicut de fide est nihil sine gratia nos efficere posse in ordine ad vitam beatam, ita de fide quoque est, quod gratiae dissentire possumus, ex quo fieri potest, ut gratia suum non sortiatur effectum.

106. Inde factum est, ut duplex semper distincta sit gratia actualis, sufficiens scilicet, et efficax. Illa dicitur, quae ex se posset quidem sortiri effectum, verum non sortitur; haec vero, quae cum effectu conjungitur. Ista definitur per actuale Dei auxilium, quo voluntas actu vult, et operatur bonum certissime, et insuperabiliter, ut dicit Augustinus lib. de *cor.* et *grat.* cap. XII, sed libere, non necessario (conf. Fulg. cap. VII. de grat, et praedest.). Et sufficiens ab eodem de

Fulg. definitur per actuale Dei auxilium, quo voluntas potest vel operari, vel petere, et obtinere a Deo majora auxilia, ut operetur, et tamen libere dissentit.

107. Item duplici modo gratia efficax considerari potest, intrinsece scilicet, et extrinsece. Dicitur intrinsece efficax, si ex sui natura, nullo habito respectu ad extrinsecum liberum hominis arbitrium, necessario produceret effectum. Efficacia autem extrinseca, quae dicitur *connexionis*, praeter efficaciam intrinsecam, respicit etiam liberum hominis consensum.

108. Quod in primo sensu omnis gratia sit efficax, res per se patet, quoniam perfectissimus est Deus, qui nihil ex parte sui imperfectum efficere potest. Et propterea si gratiam confert pro assequenda vita aeterna, ipsa, quantum in se est, sufficiens et efficax esse debet, secus nec Deus voluntate antecedenti vellet omnes salvos, nec Christus pro omnibus esset mortuus, et illusorie prorsus Scripturae nos invitarent ad recedendum a malo, et sequendum bonum. Ergo, exceptis Pelagianis, et Socinianis, qui nullam, vel quasi nullam admittebant gratiae necessitatem, nemo est, qui intrinsecam gratiae efficaciam non agnoscat.

109. Sed unde repetenda est extrinseca gratiae efficacia, sive connexionis cum suo effectu? En magna, difficilis, et duplicata controversia. Prima est inter Haereticos et Orthodoxos, secunda inter Catholicos ipsos. Haeretici efficaciam repetunt ex sola natura gratiae independenter omnino a nostra voluntate, ita ut illi non possit homo dissentire, si velit; et Catholici repetunt a gratiae natura simul et libera hominis assen-

tione. Sed non eodem modo tam illi, quam isti suam exponunt sententiam.

110. Lutherani cum Calvinistis reponunt hanc gratiae efficaciam in vera sive physica vi, quae talem infert agendi necessitatem, ut nullo modo illi resistere possit humana voluntas. Jansenius autem reponit in coelesti delectatione, quae sit sui natura superior et necessario victrix oppositae delectationis carnalis, et terrenae, et cui propterea homo nullo modo potest resistere. Nos primo confutabimus Haereticos, et postea exponemus varias sententias Catholicorum, ut quisque, prout sibi magis arridet, sequatur quam voluerit. Itaque contra Lutherum, et Calvinum sit de fide

PROPOSITIO VIII.

Externa gratiae efficacia non ita repetenda est a gratia ipsa, ut nullimode pendeat quoque a voluntate hominum, qui illi assentiri, aut dissentire possint.

111. *Prob.* Haec doctrina expresse definita fuit a Conc. Trident. Sess. VI. can. IV. his verbis: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum, et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat, ac praeparet; neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quiddam nihil omnino agere, mereque passive se habere; anathema sit.* Et propterea ad fidem pertinet.

112. *Prob.* etiam ex Scripturis. Innumera propemo-

dum sunt Sacrae Scripturae testimonia, quae luculentissime indicant hanc veritatem. Et quidem Zachariae cap. I. v. 3. habemus: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos.* Ergo ut Deus convertatur ad nos, scilicet ut nos justificet, nos prius debemus converti ad eum, cooperando sine dubio, ut alibi diximus, suae gratiae praevenienti, et comitanti. II. Ecclesiastici cap. XXXI. v. 10. scriptum est: *Qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala, et non fecit.* Ergo in hominis potestate est Dei gratiae assentiri, vel dissentire. III. Apostolus in I. ad Timoth. cap. IV. v. 7. sic illum exhortatur: *Exerce teipsum ad pietatem.* Item ad Philipp. cap. II. v. 12. dicit: *Cum metu, et tremore salutem vestram operamini.* Rursus in I. ad Corinth. cap. III. v. 8. dicit: *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. Dei enim sumus adjutores.* Et ibidem dicit de seipso: *Gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Quid clarius pro nostra libera cooperatione gratiae praevenienti, et comitanti, ut felicem effectum consequamur? Omittimus, quod saepe Deus conqueritur de duritie hominum, qui suae gratiae resistunt. *Quid potui ultra facere vineae meae, et non feci? Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis etc.* quae omnia aperte indicant, quod utique possumus Dei gratiae resistere, et saepe resistimus.

113. Omittimus auctoritatem Sanctorum Patrum, quoniam ipse Calvinus in lib. II. Instit. cap. III. §.

10. fatetur, illos omnes suae doctrinae adversari, dicens: *Voluntatem movet (gratia), non qualiter multis saeculis traditum est, creditum, ut nostrae postea sit electionis motioni aut obtemperare, aut refragari, sed illam efficaciter afficiendo.* Sed quoniam Haeretici Novatores abutuntur auctoritate. maximi Doctoris Augustini, non piget afferre illius verba, quibus exorditur suum librum *de Gratia, et libero arbitrio*, scilicet: *Quoniam sunt quidam, qui sic gratiam Dei defendunt, ut negent hominis liberum arbitrium . . . Hinc aliquid scribere curavi.*

114. *Prob.* tandem theologica ratione. Tota quasi Scriptura tam veteris, quam novi testamenti, nihil aliud continet, nisi praecepta, aut interdicta, quae servare jubemur, aut quae debemus credere, ut justitiam assequamur, et inde vitam aeternam. Sed ad quid ista omnia, si a sola gratia, et nihil a nobis penderent? Ad quid jubemur sic currere, ut comprehendamus, si a sola gratia, et independenter a nostra cooperatione habetur currere, et modus currendi? Ad quid, *si vis salvus fieri, serva mandata*, si in nobis non est illa servare nequidem sub auxilio gratiae? Ad quid: *si credideris et baptizatus fueris, salvus eris*, si a sola gratia pendet vera fides? Nonne id esset manifeste mentiri, et illudere? Sed adde, quod saepe gloria coelestis dicitur conferri ut merces, ut praemium, et ut corona. Sed quomodo merces sine nostro labore, praemium sine merito, corona sine nostro certamine? Nunquid qui necessario aliquid facit, quin possit non facere mercede, praemio, et corona erit dignus? Ergo ut

ista, et alia absurda devitemus, dicendum, quod externa gratiae efficacia etc.

Solvuntur nonnullae objectiones.

115. *Ob.* Multa loca Sacrarum Scipturarum solent objicere Novatores pro sua causa; sed duo seligimus. Primus est ille Ezechiel. cap. XXXVI. v. 26. *Auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum . . . et faciam, ut in praeceptis meis ambuletis.* Secundo objiciunt verba Apost. ad Philipp. cap. II. v. 13. *Deus est enim, qui operatur in vobis et velle, et perficere.* Ergo ex solo Deo, scilicet ex sola gratia, independenter a voluntate propria, homines ambulant in praeceptis Domini: et Deus solus pariter movet voluntatem, et perficit opera.

℟. Et quidem ad Ezechiel. verba dicimus, quod ipsa solum indicant facilitatem, ut ambularent per novum spiritum, per novam gratiam, quod promittit se daturum Israelis, non vero quod necessario, et sine propria voluntate ambulent: *Faciam ut ambulent.* Et quidem per gratiam illustratur intellectus pro cognoscenda veritate, et simul corroboratur voluntas ad illam sequendam. Ergo quo major est gratia, eo facilius, et libentius homo sectatur bonum, sive ambulat in praeceptis Domini. Quinimo si talis sit gratia, ut homo evidenter, et constanter videat semper veritatem, et omnes, vel quasi omnes removeantur oppositiones, et incitamenta, quae sunt consequentiae nostrae naturae corruptae, et magis in dies insolescunt juxta pravam nostram

vivendi rationem, tunc certo erit moraliter impossibile, ut homo non triumphet de carne, mundo, et inferno, et non recte ambulet in viis Domini, quia fieri non potest, ut rejiciamus bonum sub specie boni constanter repraesentatum. Nec id officit humanae libertati, sed potius illam perficit. Etenim libertas fluit a ratione, et exercetur per electionem, ut sapientissime ait D. Thomas; et idcirco se habet in proportione directa rationis. Et requidem vera: forsan dicemus minus liberos doctos, et eruditos, quam rusticos, et ignaros, minus qui per habitum acquisitum in exercendis virtutibus minus dominantur a motibus sensus, et carnis, quam qui motibus violentioribus subjiciuntur? Quinimo tanto magis libere Beati in Coelo amant Deum: et liberrimus Deus, quia Sapientissimus, et Perfectissimus est. Ergo auferendo Deus per suam gratiam cor lapideum, ut ipse idem dicit in objecto testimonio Zach. et dando cor carneum, ut ambulemus in praeceptis suis, non destruit, nec minuit, sed perficit potius humanam libertatem, quia magis expeditos nos reddit ab impedimentis tam interioribus, quam exterioribus.

Ad alterum dicimus, quod verba Apostoli nihil aliud indicant, nisi quod sine auxilio gratiae praevenientis, et comitantis nihil prorsus nec cogitare, nec perficere possumus, quod sit meritorium pro vita aeterna. Ergo mirifice confirmant doctrinam Ecclesiae Catholicae, quae tenet, quod nec quidem initium fidei, quae operatur salutem, a nobis haberi possit sine gratia praeveniente, nec perfici sine gratia comitante.

116. *Ob.* ex Augustino. Procul dubio in doctrina Christi gratiae magni facienda est auctoritas Doctoris Augustini in interpretando sensu Scripturarum. Sed Augustinus adversus Pelagianos, et Semipelagianos aperte docet ineluctabilem gratiae vim contra humanam libertatem. Et quidem, ut praetermittantur innumera alia loca, sic loquitur in lib. de *Corrept. et grat.* cap. XII. n. 38. *Subventum est infirmitati voluntatis humanae, ut Divina gratia indeclinabiliter, et insuperabiliter ageretur.* Et cap. XIV. n. 45 de eadem gratia dicit: *Sine dubio habens humanorum cordium, quo placeret, inclinandorum omnipotentissimam potestatem.* Nunquid clarius asserere poterat gratiam absolute per se efficacem, cui nullimode resistere potest humana libertas?

℟. Quod S. Augustinus rectissime senserit de libero arbitrio sub auxilio gratiae juxta Ecclesiae Catholicae doctrinam, patet ex eo, quod semper in doctrina de gratia multis laudibus illud effertur. Et evidenter id patet ex titulo lib. de *Gratia*, et *libero arbitrio.* Et apertis verbis ipse dicit in lib. *de Spiritu, et litt.* cap XXX. *Liberum ergo arbitrium evacuamus per gratiam? Absit: sed magis liberum arbitrium statuimus.* Si ergo tam praecise, et manifeste dicit, quod per gratiam liberum arbitrium non destruitur, sed potius firmatur, numquid adeo levem illum dicemus, qui sibi tam manifeste contradicat? Ergo non in sensu Novatorum objecta verba sunt accipienda. Intelligenda quippe sunt de necessitate, et infallibilitate gratiae morali, non physica, et absoluta. Intelligenda sunt de tali corroboratione humanae naturae per gratiam, ut homo pos-

sit quibuscumque et internis concupiscentiae motibus, et exterioribus tentationibus resistere, et indeclinabiliter, ac insuperabiliter, quae recta sunt, agere Omnipotentem potestatem habet gratia, quia nullum est impedimentum, quod homo sub auxilio gratiae superare non possit. Intelligenda sunt eo sensu, quo intelligit clariss. Cajetanus de Fulg. lib. VII. cap. VII. sub prop. III, ubi ait: *Non aliud significare voluntatem non posse gratiae resistere, sed voluntatem gratia efficaci motam nullis posse tentationibus superari, nisi ipsa velit, quod propter vehementem rerum Coelestium amorem, quo a Spiritu Sancto accenditur, nunquam eveniet. Sic arcem insuperabilem dicimus, cum ex nullis hostium machinis, nulla vi superari potest, licet possit dux hostibus arcem dedere.*

PROPOSITIO IX.

Jansenii systema de delectatione victrici pro gratiae efficacia prorsus destruit humanam libertatem, et propterea falsum, et Haereticum est.

117. Etsi Orthodoxi quoque gratiae efficaciam reponant in coelesti delectatione victrici, quia tamen id asserunt, illesa remanente hominis libertate, et Jansenius contra illam prorsus destruit, idcirco illius systema omnes Theologi Orthodoxi, praesertim Antonius Boucat, acriter insectati sunt, et Ecclesia proscripsit. Quod autem reipsa Jansenius, pariter ac Novatores, licet diverso modo, omnem rejecerit libertatem, sic demonstratur.

Primo. Delectatio victrix Jansenii (§ 69). ejusmodi se habet, ut si coelestis delectatio sit majoribus gradibus delectatione terrestri, ipsa necessario trahit ad se nostram voluntatem, contra vero si superior erit delectatio terrena. Ergo prorsus actum est de vera libertate, quoniam victoria, sive bonus effectus, unice pendet a natura gratiae, si scilicet delectatio coelestis sit major delectatione terrena, quin homo possit illi resistere, contra quod definitum fuit a Concilio Trident. sess. VI. can. IV. Et quidem Jansenius in lib. IV de gratia Christi cap. IV dicit: *Decet* (inquit Augustinus) *quamdiu in hac vita mortali vivimus, esse in homine quandoque luctum duarum delectationum, noxiae, et beneficae, terrenae, atque coelestis, quarum utralibet vicerit, animum caecum consensientem, ac pronum trahit.* Ergo si per Jansenium animus caecus trahitur ad consensiendum alterutri delectationi victrici et nullimode a se, sed a solo Deo pendet, ut gratia sit gradibus majoribus, ut sic delectatio coelestis sit victrix supra delectationem terrenam, nonne prorsus in hoc negotio salutis actum est de nostra libertate, et homo solum passive se habet, et veluti quid inanime? Sed adde, quod in Jansenii systemate, sicut a solo Deo, sine libera nostra assentione, pendet aeterna salus, quia a solo Deo pendet, ut gratia, et delectatio coelestis sit victrix, sic etiam a solo Deo est nostra perditio, quia non a nobis, sed a natura gratiae necessario fit, ut delectatio terrena superet delectationem coelestem. Ergo iterum falsum est hoc systema, quia repugnat ut Deus positive sit auctor mali, et simul impium quoque, quia facit Deum auctorem peccati.

118. *Prob. II. pars.* In hoc systemate homo necessario trahitur a delectatione victrici sive coelesti, sive terrena, nec aliunde ab ipso pendet, ut se disponat, ac praeparet, ut gratia sit victrix, neque, si victrix est, illi dissentire potest. Sed ista omnia damnata fuerunt a Conc. Trident. sess. VI. ubi can. IV. definitum fuit. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum, et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat, ac praeparet, neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere; anathema sit.*

119. Deinde. Ut dictum est (§. 70) ex Jansenii erroneo principio gratiae victricis fluunt quinque ipsius propositiones, quas exposuimus (§. 71). Sed ipsae omnes damnatae fuerunt ab Ecclesia (§. 72. et seq.) Ergo etc.

Solvuntur objectiones.

120. Saepe Sancti Patres reponunt gratiam in delectatione coelesti, et S. Augustinus, qui in negotio gratiae magni faciendus est, apertis verbis dicit, quod juxta naturam hujus delectationis necessario habetur effectus. Etenim in Comment. in Epist. n. 49. inquit. *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est.* Ergo per Augustinum si delectatio coelestis est major delectatione terrena, sive victrix supra illam, necessario trahit nostrum assensum. Et rationem adducens in lib II. *de peccat. merit.* cap. XVIII. di-

cit. *Nolunt homines facere, quod justum est, sive quia latet an justum sit, sive quia non delectat. Tanto enim quidque vehementius volumus, quanto certius quod bonum sit novimus, eoque delectamur ardentius.*

Ut his, et aliis similibus Augustini locis, respondeatur, duplex distinguenda est delectatio, objectiva scilicet, et subjectiva: item sensibilis, et intellectualis. Et simul notandum est, quod quaevis delectatio mutabilis est quoad suos gradus, prout circumstantiae mutantur. Sine dubio delectatio major ejusdem speciei in iisdem circumstantiis ad se trahit voluntatis assensum. Ast quoniam homo, ut finitus, perennibus mutationibus tam physicis, quam moralibus subjectus est, idcirco varia, et opposita judicia successive efformat de bonitate rerum, et maxime si diversi sint generis, uti sunt spirituales et quasi remotae, et sensibiles ac proximae: et inde variae semper enascuntur delectationes nunc superior una, nunc superior altera. Concedimus libenter, quod cum se determinat nostra voluntas, se determinat juxta actuale judicium intellectus. Sed quoniam, ut quisque in se evidenter videt, et constanctissime experitur, in nostra plena semper libertate est nos determinandi, vel suspendendi ultimum judicium, et repetendi examen, idcirco semper liberi sumus in nostris determinationibus etiam sub majori delectatione. Sed ex reiterato examine, maxime cum agitur de bono diversae speciei, mutatur judicium, et quae erat delectatio major, mutatur in minorem, idcirco ut delectatio quaevis sit victrix, non solum pendet a majori

bono, de quo delectamur, sed etiam a voluntate, quae libere, cum vult, se determinat. Caeterum Augustinus, et alii semper loquuntur de necessitate, et certitudine morali, non vero physica, et absoluta.

Systemata Orthodoxorum circa gratiae efficaciam.

121. Rejectis, et confutatis erroribus Lutheri, Calvini, Jansenii etc. circa gratiae efficaciam ex eo, quod ita independenter ab humana libertate a solo Deo repetebant, ut nullimode hominem illi resistere posse dixerint contra luculentissima sacrarum Scripturarum testimonia, et contra manifestam Ecclesiae doctrinam, opus est nunc, ut exponamus super hac re systemata Orthodoxorum. Ad duo genera ipsa revocantur. Alterum est eorum, qui gratiae efficaciam a Deo, et ab ipsius gratiae natura repetunt quidem, sed salva semper humana libertate. Alterum est eorum, qui eamdem efficaciam repetunt a libero hominis consensu, posita semper gratia non solum praeveniente, sed etiam comitante. Praecipui prioris sententiae sectatores sunt Thomistae, et Augustinianenses; alterius vero sunt Congrüistae, cujus auctor fuit Franciscus Suarez societatis Jesu, qui Ludovici Molinae systemà temperavit. Nos, ut jam diximus, illorum systemata simpliciter exponemus relinquendo lectoribus amplecti quod magis placet.

Exponitur systema Thomistarum.

122. Thomistae itaque reponunt gratiae efficaciam in praemotione morali, et physica, qua Deus ita deter-

minat hominem ad operandum, ut repugnet, illum non operari secundum quod movetur, quoniam motio isthaec includit actum. Dicitur praemotio, quia praecedit actum voluntatis, si non tempore, ast ratione originis, et dependentiae. Dicitur autem moralis, quia movet voluntatem ad actum moralem; et physica, non quia materialiter, et per modum naturae ad unum determinans movet voluntatem, sed quia ex se est efficax independenter a quocumque consensu hominis. Sic enim rem explicat Gonnetus in *clypeo Theol. Thom.* tom. 1. disput. IX. de conc. libert. cum decr. praedest. art. V. n. 67. *Non quod forma naturalis sit, seu per modum naturae ad unum determinans, sed quia ex propria essentia, et ab intrinseco est efficax independenter a quocumque creato consensu, quod est esse physicum theologice, non philosophice.* (v. Joann. Perr. de Grat. art. II. §. 305.). Sed id tamen non excludit liberum hominis consensum, qui inde sequitur cum gratia concomitante. Unde per Thomistas ordo sic procedit. Primo gratia sufficiens, quae dat posse velle, et agere (in sensu diviso) deinde gratia efficax, quae physice praedeterminat voluntatem, et praebet reipsa velle, et agere; et tandem consensus cum gratia concomitante.

123. Multa contra hoc (catholicum) systema ab aliis similiter Catholicis objiciuntur; sed ferme semper Thomistae respondent adducendo distinctionem inter sensum divisum, et compositum. Itaque dicunt, quod sicut homo in sensu composito dum sedet, non potest non sedere, et hoc non officit libertati, quia in sensu

diviso liber erat sedendi, et non sedendi: ita licet, posita gratia, impossibile utique sit hominem non agere, quia gratia efficax per physicam praedeterminationem includit ipsum actum; tamen in sensu diviso, et absoluto homo potest non agere. Ita idem doctiss. Joan. Perr. tract. de gratia §. 307. Multa quidem hinc inde opponuntur, et resolvuntur, ut videre est ibidem. Sed omnia omittimus.

Systema Augustinianentium.

124. Augustinianentium systema de gratia efficaci in multis convenit cum systemate Thomistarum. In utroque admittitur necessitas physicae praedeterminationis pro praesenti statu naturae lapsae. Hanc autem necessitatem Augustinianenses simul cum Congruistis rejiciunt pro statu naturae integrae. Iidem Augustinianenses gratiae efficaciam repetunt a delectatione coelesti, quae si erit vere ardens, gratia dicitur *victrix*, et efficax; sin minus, gratia erit solum sufficiens. In eo autem hoc systema maxime differt a systemate Jansenii, quia Haereticus iste dicebat, quod gratia victrix veram inducit necessitatem: sed in systemate Augustinianentium, si asseritur, quod per gratiam efficacem infallibilis habetur effectus, hic tamen non ita necessario habetur, ut humana libertas destruatur.

Systema Congruistarum.

125. Franciscus Suarez ex Societate Jesu Theologus defensor Ludovici Molinae ad vitandam Theologorum Catholicorum offensionem adversus Molinae doctrinam circa gratiae efficaciam, illius systema aliquo modo temperavit: gratiam scilicet congruam excogitavit, ut sic non a solo homine, sed a natura quoque gratiae, illius haberetur efficacitas. Et ex inde factum est, ut illius sectatores Congruistae appellarentur. Itaque in hoc systemate prorsus rejicitur physica praedeterminatio Thomistarum, Augustinianentium, et rejicitur propterea quaevis gratia ex natura sua, sive ex sua entitate, efficax, quae per se necessario flectit voluntatem. Nullum per Congruistas datur discrimen verum, sive entitatis, inter gratiam efficacem, et sufficientem. Quaevis gratia ex intrinseca sua virtute praebet hominibus veram, proximam, et expeditam facultatem agendi, et quidem nullis exclusis circumstantiis, ita ut si homo velit, semper illi assentiri poterit. Si ergo assentitur, et inde ab *actu pimo*, ut dicitur, transit *ad actum secundum*, scilicet a potentia ad actum, semper quippe sub auxilio gratiae praevenientis, et comitantis, tunc gratia, quae dicebatur sufficiens, fiet efficax: quod si homo resistit, tunc gratia ex culpa hominis remanet sufficiens. Ergo in hoc systemate ex solo libero arbitrio pendet, ut gratia sit efficax, an vero remaneat sufficiens.

126. Quoad vero naturam hujusmodi gratiae sufficientis, illam non aequalem in omnibus dicunt congrui-

stae, sed aliam alia esse majorem, et robustiorem; sed quamcumque tamen sufficientem ad producendum effectum, si homo velit, licet non eadem facilitate. Quod si Deus absolute velit, ut aliquis convertatur, et fiat salvus, uti reipsa fecit cum multis, tunc talem gratiam illi impertitur, cui per sui praescientiam certo cognoscit, hominem infallibiliter, sed libere assensurum esse. Et en gratia *congrua*, aptata scilicet circumstantiis futuris, in quibus scit Deus, quod infallibiliter, homo assentietur gratiae. Hac ratione, dicunt Congruistae, quod firma stat doctrina Catholica contra oppositos errores Pelagianorum, et Novatorum, quoniam in nihilo laeditur nec supremum et absolutum Dei dominium, nec liberum hominis arbitrium. Non illud, quoniam cum vult, Deus congruam gratiam impertitur: non istud, quia Dei praescientia futurorum non laedit humanam libertatem, sicut non laedit qui videt, quae actu libere facimus. Etenim si aeternus est Deus, et aeternitas est interminabilis vitae tota simul, et perfecta possessio, ipsi omnia sunt in actu, quae respectu nostri aut fuerunt, aut erunt, et propterea non ideo nos faciemus, quia ipse praevidit, sed potius ipse praevidit, quia nos faciemus. Unde, sicut, iterum dico, qui videt aliquem actu quidquam libere operari, certo videt illius operationes, nec fallitur, quin tamen in minimo laedat illius libertatem; sic Deus praevidet, sive actu videt, hominem suae gratiae respondere, quin hominis libertas laedatur.

127. Quoad vero constitutionem Congregationis *de Auxiliis*, qua oppositores dicunt, quod damnari debe-

bat hoc systema, Joann. Perr. tract. de gratia §. 337 dicit, quod ut fabulosa rejicitur, et in (1) affert verba Innocentii X. die 23 aprilis 1654.

128. Quamvis in hoc systemate facilius videatur teneri medium iter catholicae Ecclesiae inter errores Pelagianorum, et Novatorum, quoniam contra illos asseritur gratiae necessitas tam praevenientis, quam concomitantis, et adversus istos manifeste adstruitur hominis libertas: Et quamvis propterea Congruistis aeque faveant Scripturarum testimonia, tam illa, quae extollunt Dei gratiam, quam quae docent humanam libertatem; et sic pariter Ecclesiae decreta, quae hac super re ediderunt Patres Concilii Tridentini tam in defensionem gratiae, quam in favorem libertatis: tamen hoc systema, forsan magis quam alia, multos habuit oppositores, etiam ex Catholicis Theologis.

129. Et haec breviter exposita sint de modo, quo nostri Theologi explicant mysterium nostrae aeternae salutis respectu gratiae, et liberi arbitrii. Non afferimus cujusque systematis nec rationes, quibus unumquodque nititur, nec objectiones, quibus oppetitur; nec item nostram patefacimus opinionem, ut liberum prorsus sit unicuique vestrum, studiosissimi Juvenes, sequi quod magis vobis arridet; et quia non est animus altercandi in negotio tam inextricabili.

CAPUT IV.

Num Deus cunctis hominibus suam gratiam ad salutem necessariam impertiatur.

130. In hoc capite absolvendo eosdem habemus adversarios, quos hactenus refutavimus. Quippe Pelagiani, qui gratiae necessitatem negarunt, necesse est ut aspernantur hanc quaestionem, num scilicet omnibus Deus suam gratiam conferat, an vero nonnullis denegetur. Novatores autem cum Iansenistis, ut manifeste apparet ex ipsorum systemate supra a nobis exposito et refutato, quia a sola gratia independenter a nostra cooperatione voluntaria nostram repetunt aeternam salutem, veluti inutilem rejiciunt collationem gratiae sufficientis omnibus illis, qui Christi Redemptionis fructum non assequentur. Quinimo, ut supra dictum est, omnes Peccatorum, et Infidelium operationes totidem esse peccata, et quidem mortalia, impudenti audacia non dubitant asserere.

131. Sed quoniam nec etiam hac super re convenit inter Theologos Orthodoxos, idcirco duplicis generis sunt, quae in hoc capite disputantur. Alia enim pertinent ad fidem catholicam adversus Novatores, et Jansenistas, et alia non ita. Primi generis sunt. I. quod omnibus justis vere, et etiam relative ad circumstantias, Deus sufficientem gratiam impertitur. II. Quod eamdem sufficientem gratiam tribuit quoque peccatoribus non obduratis, ut a suis peccatis resipiscant. Alterius autem generis sunt, I. num eamdem gratiam vere sufficientem

Deus tribuat etiam peccatoribus obduratis, et obcaecatis. II. Num idem dicendum sit etiam de Infidelibus negativis. Sit ergo de fide contra Jansenium

PROPOSITIO X.

Deus omnibus justis suam gratiam vere sufficientem impertitur, et praesertim urgente praecepto, qua praescripta legis vel immediate servare possint, vel majus proportionatum auxilium a Deo impetrare.

132. *Prob.* primo ex Scripturis. Ecclesiastici cap. XV. v. 16. scriptum est. *Si volueris mandata servare, conservabunt te.* Ergo in nostra potestate est servare praescripta legis. Sed ut superius (§. 26) de fide demonstratum est, sine actuali Dei gratia nihil efficere possumus, quod sit meritorium pro vita aeterna. Ergo etc. Id clarius docet Apostolus in prima ad Corinth. cap. X. v. 13. dicens. *Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis resistere.* Si id omnibus, maxime convenit justis, et quidem urgente praecepto.

133. *Prob. II.* Ex decretis Conciliorum. Itaque Concilium Arausicanum II. can. XXV. declaravit. *Hoc etiam secundum fidem catholicam fideliter profitemur, et credimus, quod accepta per Baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante, et cooperante, quae ad salutem animae pertinent, possint, ac debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Et Patres Concilii Tridentini sic loquuntur sess. VI. cap.

XI. de observat. mandat. etc. *Nemo temeraria illa, et a Patribus sub anathemate prohibita voce uti* (debet), *Dei praecepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet et facere quod possis, et petere, quod non possis, et adjuvat ut possis.* Et hoc ipsum definitum est ibidem can. XVIII. *Si quis dixerit, Dei praecepta homini etiam justificato, sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia, anathema sit.*

134. *Prob. III.* Ex sanctis Patribus, quorum instar sit Doctor Augustinus, qui in lib. de *Nat.* et grat. cap. XXVI. comparans Deum medico ait. *Deus cum per Mediatorem Dei, et hominum Jesum Christum spiritualiter sanat aegrotum, et vivificat mortuum, idest justificat, impium, et cum ad perfectam sanitatem, hoc est ad perfectam vitam, justitiamque perduxerit, non deserit, si non deseratur, ut pie semper, justeque vivat.*

Solvuntur nonnullae Jansenii difficultates.

135. *Ob.* Multi sancti Patres, praesertim Augustinus, aperte dicunt, saepe deesse justis gratiam, qua culpam vitare possint. Ergo etc. Et quidem, ut ceteri omittantur, Chrysostomus Homil. XXXI. in Epist. ad Hebraeos n. 3. haec scribit de Principe Apostolorum, qui ter negavit Christum. *Negatio Petri non tam erat socordiae, et negligentiae, quam ex eo, quod Deus eum deseruerat.* Ergo Petro, et quidem justo, et

etiam urgente praecepto, defuit gratia sufficiens, qua a culpa se immunem servaret. Et hoc ipsum dicit Augustinus serm. CXXIV. de *temp.* n. 1. *Quid est homo, sine gratia, nisi quod fuit Petrus, cum negaret Christum?* Ergo ex S. Augustino Petro defuit gratia.

℟. Ex his, et similibus Sanctorum Patrum testimoniis non aliud deduci potest, nisi quod possunt Justi suam justitiam amittere, nisi semper cum timore, et tremore suam salutem operentur, non vero quod non possint ex defectu gratiae. Et id non solum nos concedimus, imo et fortiter propugnamus adversus Novatores, qui dicunt, justitiam semel apprehensam, non amplius amitti posse (§. 54.). Et quidem, si de fide tuemur, juxta definitionem Concilii Tridentini sess. VI. can. IV., quod possit homo Deo excitanti dissentire, utique de fide quoque propugnamus, quod potest justus suam justitiam amittere; uti reipsa ab eodem Conc. ibidem can. XXII, et XXIII. definitium fuit. Ergo doctrina Catholicae Ecclesiae est, quod, maxime urgente praecepto, non desit justis vera gratia sufficiens, qua suam justitiam servare possint, non vero illa gratia efficax Novatorum, cui non possit homo resistere, et inde necessario non possit delinquere.

Quoad vero Chrysostomum, dicimus, quod per verba in objectione allata non intelligit, Petro defuisse gratiam sufficientem, ita ut non potuerit, si voluisset, resistere tentationi, sed defuisse gratiam robustiorem, et efficacem, et id quidem sui culpa, ut qui superbierat nimis fidens suis naturalibus viribus, uti ostendit imprudenter respondens Christo, qui de proximo

periculo monebat Apostolos. *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor* (Matth. cap. XXVI. v. 33). Et quidem S. Doctor immediate subdit. *Erudiens ut humanam sciret mensuram; et non repugnaret iis, quae dicebantur a Magistro, neque magis, quam alii, altum saperet.*

Ad Augustini testimonium dicimus, quod apocryphum communiter existimatur. Caeterum mens Augustini clare patet ex lib. de unit. Eccl. cap. IX. ubi dicit: *Quis enim dubitaverit, quod . . . si voluisset* (Petrus) *ter Dominum non negasset?*

PROPOSITIO XI.

Fidelibus Peccatoribus non obduratis non deest Dei gratia sufficiens, qua, si velint, possunt a peccatis abstinere, et resipiscere.

136. *Prob.* Quoniam Concilium Arausiconum II. can. XXV. (§. 134) non loquitur de solis justis, sed de omnibus baptizatis, procul dubio illius sententia intelligi quoque debet saltem de peccatoribus non obduratis: et propterea ad catholicam doctrinam pertinet haec nostra propositio. Sed et id confirmatum fuit a Concilio Trident. sess. VI. cap. XIV. *de lapsis* etc, ubi Patres loquentes de peccatoribus dicunt. *Qui vero ab accepta justificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus justificari poterunt, cum excitante Deo per Poenitentiae sacramentum, merito Christi amissam gratiam recuperare procuraverint.* Sine

ulla exceptione hic loquuntur Patres. Ergo omnibus peccatoribus, saltem non obduratis, Christi gratia confertur, qua amissam justificationis gratiam per sacramentum Poenitentiae recuperare possunt. Et propterea communis est haec doctrina omnium Catholicae Ecclesiae Theologorum.

137. *Prob. II.* ex scripturis. Innumera ferme sunt Sacrarum Scripturarum loca, quae hanc docent veritatem, cum scilicet omnes homines invitant, et exhortantur, ut ad Deum se convertant, et recedant a viis suis. Sed nunquid sine gratiae auxilio id efficere poterunt? Ergo nullis ipsa gratia deest: sed nos unum, vel alterum testimonium ex utroque Testamento afferimus. Itaque Ezechielis cap. XXXIII. v. 11. habemus. *Vivo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat. Convertimini, convertimini a viis vestris pessimis.* Et Sapientiae cap. XI. v. 24. *Misereris omnium, quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter poenitentiam.* Ex novo autem Testamento in Epist. secunda Petri Apostoli cap. III. v. 9. legimus. *Non tardat Dominus promissionem suam sicut quidam existimant: sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti.* Et Apostolus in prima ad Timoth. cap. IV. v. 10. inquit. *Speramus in Deum vivum qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium.* Sed peccatores, qui fidem non amiserunt, sunt adhuc fideles, et ut in secundo libro demonstratum est, pertinent ad Christi Ecclesiam. Ergo Christus est illorum Salvator.

Sed sine actuali gratia tam praeveniente, quam comitante, nemo potest salvari. Ergo etc.

139. *Prob. III.* Omissa auctoritate Sanctorum Patrum, quae communis est omnium, sic placet Theologica ratione argumentari. Si fidelibus peccatoribus, et quidem non obduratis, gratia vere sufficiens deesset, ut a peccatis resipiscant, procul dubio aut nullus ipsorum poterit salvari, aut salvari possent, quin a peccatis solverentur. Horrisonum hoc est, et proprium Novatorum, qui in sola fide, et hac non vera, sed simplici fiducia non amittendi justitiam, quam semel apprehendimus, aeternam salutem reponunt. Sed nec illud. Etenim secus, cum quasi omnes, saltem aliquando, peccent, quasi nullus etiam salvaretur, quod dedecet infinitam Dei Sapientiam, et Clementiam, quī per Divini Verbi Incarnationem voluit humanum genus redimere. Sed adde, quod si deesset peccatoribus gratia sufficiens, qua suorum peccatorum possent poenitere, et ab eisdem solvi, tunc frustranea prorsus fuisset institutio Sacramentorum, et maxime Sacramenti Poenitentiae, quod sine gratia nec desiderare, nec rite suscipere possent. Sed Christus instituit hoc Sacramentum, et quidem non pro justis, sed pro peccatoribus, et Ecclesia illud insinuat, et praecipit. Ergo non deest peccatoribus gratia sufficiens, ut rite possint suscipere. Tandem. Deus non solum justis, sed peccatoribus quoque, sua tradidit praecepta, quae certe vult servari. Sed sine actuali gratia servari non possunt. Ergo si gratia ista peccatoribus, instante praecepto, deesset, Deus impossibilia praeciperet. Sed id repugnat cum infinita Dei justitia, et bonitate. Ergo etc.

PROPOSITIO XII.

Probabile est, quod Deus suam gratiam vere sufficientem impertitur etiam peccatoribus obduratis, et Infidelibus negativis, qua, si velint, possint salvari.

140. *Prob. prima pars.* Peccatores obdurati sunt qui, ut dicit S. Bernardus in lib. 1. *Consid.* cap. II. n. 3. ad Eugenium III., nec compunctione scinduntur, nec pietate molliuntur, nec moventur precibus: non cedunt minis, et flagellis durantur. Ingrati, infidi, saevi, inverecundi, impavidi, temerarii etc. Sed ex Scripturis isti non destituuntur gratia vere sufficienti. Ergo etc. Et quidem: in lib. Sapientiae cap. XII. v. 20. scriptum legimus de Chananeis, qui erant scelestissimi, et obdurati. *Si enim inimicos servorum tuorum, et debitos mortis cum tanta cruciasti attentione, dans tempus, et locum, per quae possent mutari a malitia, cum quanta diligentia judicasti filios tuos* etc.? Sed sine actuali sufficienti gratia peccatores non possunt mutari. Ergo obduratis Chananeis non defuit gratia vere sufficiens. II. Actorum cap. VII. v. 51. Stephanus sic loquitur Judaeis obduratis. *Dura cervice, et incircumcisis cordibus, et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis, sicut Patres vestri, ita et vos.* Si resistebant Spiritui Sancto, utique resistebant gratiae vocanti. III. Apostolus in Epistola ad Rom. cap. II. v. 4. inquit. *An Divitias bonitatis ejus, et patientiae, et longanimita-*

tis contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae. Ergo non deest obduratis gratia vere sufficiens, qua ad poenitentiam a Deo vocantur.

141. Prob. Secundo ex Sanctis Patribus, ex quibus duos tantum afferimus, Augustinum, et Angelicum Doctorem; Augustinus itaque in lib. III. *de libero arbit.* cap. XVIII. sic interrogando dicit. *Quis peccat in eo, quod nullo modo caveri potest? Peccat autem, caveri igitur potest.* Si ergo per Theologos Catholicos, sine gratia caveri non potest peccatum, quomodo stabit sententia Augustini, quod omne peccatum, ideo peccatum est, quia potest caveri, si peccatores obdurati penitus sufficienti gratia carerent? Sanctus Thomas in III. p. quaest. 86. inquit: *Dicere, quod aliquod peccatum est in hac vita, de quo quis poenitere non possit, erroneum est, primo quidem, quia per hoc tolleretur libertas arbitrii: secundo, quia per hoc derogaretur virtuti gratiae, per quam moveri potest cor cujuscumque peccatoris, ad poenitendum.*

142. Prob. tandem hac unica ratione Theologica. Ecclesia pia mater non vult deseri quemcumque peccatorem quantumvis obduratum, et obcaecatum, et in articulo mortis, quando urget praeceptum, vult ut sacramentalis absolutio illis impertiatur, quoties poenitentiae signum dederint. Sed si Ecclesia existimaret, obduratos omni gratia esse destitutos, quomodo ab illis sperare posset poenitentiae signum? Concludendum igitur etc.

*

143. *Prob*. secunda pars, quae veluti certa haberi potest. Et quidem ex Scripturis unum, veluti sufficientissimum, afferimus testimonium Pauli Apostoli in prima ad Timoth. cap. II. ubi ait: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationis . . . pro omnibus hominibus . . . hoc enim bonum est, et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus et Mediator Dei, et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Si omnes vult Deus salvos fieri quomodo sine actuali gratia Dei inspirantis et moventis, possent Infideles venire in cognitionem verae fidei, illam amplecti, et inde salvari? Quomodo Christus semetipsum dedit redemptionem pro omnibus, si ex defectu gratiae Infideles, maxime negativi, illius fidem recipere non possent?

144. *Prob.* iterum ex doctrina Sanctorum Patrum, ex quibus duos adducimus, unum scilicet ex Graecis, et alterum ex Latinis. Itaque Chrysostomus, quem ceteri Graeci sequuntur, explicans illa verba Joannis cap. I. *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, sic ait Homil. VIII. *Si illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quonam pacto homines sine lumine permanent? . . . Si qui autem sponte sua mentis oculos claudentes hujus lucis radios percipere nolint, non ex natura lucis evenit, quod in tenebris maneant; sed ex nequitia eorum, qui sponte se hoc privant munere. Gratia quippe in omnes effusa est.*

Sanctus autem Augustinus in Psal. XVIII. *enar.* I. n. 7. dicit. *Et non est , qui se abscondat a calore ejus. Cum autem Verbum etiam caro factum est, et habitavit in nobis . . . non permisit ullum mortalium excusare se de umbra mortis* ; *et ipsam enim penetravit Verbi calor.*

145. *Prob.* tandem hac unica theologica ratione. De fide tenemus contra Pelagianos , et Semipelagianos, quod etiam ad initium fidei necessaria est Dei gratia. Ergo si infidelibus negativis deesset gratia , ipsi nullatenus possent venire ad fidem. Sed sine fide nullus salvari potest. Ergo necessario pereunt , et quidem etiam ex parte Dei , qui non dedit illis gratiam sufficientem , et vere necessariam. Ergo non sincere Deus ex parte sui vult omnes salvos ; et nec item ex parte sui Christus pro omnibus mortuus est. Sed quisque Catholicus valde abhorret ab ista sententia. Ergo dicendum etc.

Objectiones contra primam partem.

146. Scriptura , et Patres , maxime Augustinus , aperte testantur , Deum omnino deserere , et sua gratia privare peccatores obduratos. Ergo etc. Et quidem ex Scriptura. Isaiae cap. VI. v. 10 habemus : *Excaeca cor populi hujus , et aures ejus aggrava* ; *et oculos ejus claude ; ne forte videat oculis suis et auribus suis audiat , et corde suo intelligat , et convertatur , et sanem eum.* Ergo omnem gratiam Deus subtrahit a peccatoribus obduratis , ne convertantur, et sanet eos. II. Joannis cap. XII. v. 39. idipsum

habemus praecisis verbis de turbis Judaeorum : *Propterea non poterant credere , quia dixit Jsaias : excaecavit oculos eorum , et induravit cor eorum , ut non videant oculis, et non intelligant corde, et convertantur, et sanem eos* III. Sanctus Augustinus hoc ipsum saepe docet maxime in Psal. LXVII. , dicens: *Ecce* (Deus) *deserit peccatorem , ecce non vocat, ecce non aperit sensum , non infundit gratiam.* Ergo etc.

℟. Est commune effatum in Scholis , quod cum nimis probatur , nihil probatur. Quippe ex allatis in objectione Scripturarum locis deduceretur , quod Deus est , qui peccatores facit induratos, et obcaecatos, quod nullus Catholicus dicere audebit , neque de hoc nostra procedit quaestio , sed quaeritur, num peccatoribus iam ex culpa propria obduratis , Deus suam gratiam adhuc tribuat. Ergo aliter intelligenda sunt haec , et alia similia verba. Itaque homines ipsi se obduratos reddunt pervicaciter obsistendo gratiae sufficienti , qua pro sua bonitate Deus nulli denegat. Et inde fit , ut ex habitu et consuetudine peccandi magis semper in dies procliviores fiunt ad pravas cupiditates sectandas ; et cum semper proinde augeatur impetus inimicorum , et minuantur vires resistendi , ex hoc fiet , ut sit moraliter impossibile , ut priori sufficienti gratia robustiorem a Deo petant. Utique ex se Deus , etiam non rogatus posset illam conferre : sed quia ingrati , et obstinati ex propria voluntate in eo statu reperiuntur , et quia videretur Deus quasi violenter agere contra illorum voluntatem , si efficacem gratiam non petitam tribueret , il-

los relinquit cum sola priori gratia sufficienti. Ergo negative solum, non vero positive indurat; et quamvis ab illis non auferat suam gratiam sufficientem, tamen, si non physice et absolute, erit tamen moraliter impossibile, ut resipiscant, et convertantur.

Caeterum huic difficultati sic respondet Doctor Augustinus tract. LIII. in Joannem. *Non poterant credere, quia hoc Isaias Propheta praedixit: hoc autem Propheta praedixit, quia Deus hoc futurum esse praescivit: quare autem non poterant, si a me quaeratur, cito respondeo, quia nolebant: malam quippe eorum voluntatem praescivit Deus, et per Prophetam praenuntiavit.*

Ad auctoritatem Augustini quasi pudet respondere, quoniam rectissima ejus sententia circa gratiam clarissime patet ex pluribus locis, quos saepe attulimus, et praesertim a modo laudato in superiori responsione. Nihilominus dicimus, quod S. Doctor saepe loquitur non de facto, sed solum in hypotesi, si Deus sua gratia peccatores obduratos privaret. Et in ista hypothesi pariter hic explicat effectum desertionis, ut ibidem dicit: *Quis seipsum liberabit, si ille deseruerit? Et quis liberat? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* Et tandem ibidem causam duritiaei adducens, ait. *Duri sunt per superbiam.* Cur per superbiam, nisi quia per superbiam Dei gratia contemnitur? Ergo ex mente Augustini peccatores obdurati non omni gratia destituuntur.

Objectiones contra secundam partem.

147. *Ob.* In Actibus Apost. cap. XVI. v. 6. habemus. *Transeuntes autem Phrygiam, et Galatiae regionem vetati sunt* (Apostoli) *a Spiritu Sancto loqui Verbum Dei in Asia.* Id procul dubio indicat, quod Asiani non habebant gratiam, qua ad praedicationem Apostolorum converti potuissent ad recipiendam Christi fidem. II. Concilium Trident. sess. VI. cap. VIII. explicans quomodo impius justificatur per fidem, dicit: *Fides est humanae salutis initium, fundamentum, et radix omnis justificationis.* Ex quibus sic. Si in Infidelibus negativis esset gratia sufficiens, illa esset initium, et radix fidei, et inde justificationis, quae habetur per fidem. Sed ex Trident. initium, et radix justificationis est fides. Ergo nisi admittere velimus initium initii, et radicem radicis, dicere debemus; quod prima gratia est fides; et consequenter, quod Infideles negativi omni praecedenti gratia carent. III. Et quidem S. Augustinus in lib. *de Gratia, et libero arbitrio* cap. XIII. inquit. *Gratia per fidem Jesu Christi eorum tantummodo est, quorum est ipsa fides.* Sed Infideles negativi non habent fidem. Ergo Christi gratia destituti sunt. IV. tandem. Si etiam Infideles negativi haberent gratiam, tunc illa communis esset omnibus. Sed quod omnibus commune est, non dicitur gratia Redemptoris, de qua nunc sermo est, sed donum Creatoris. Ergo etc. Et quidem Doctor Angelicus quaest. XXIV. de verit. n. 15. dicit de gratia. *Si omnibus,*

non videtur aliud esse , quam aliquod naturale donun ; nam in nullo inveniuntur omnes homines convenire , nisi in aliquo naturali.

I. Et quidem ad primum dicimus, quod non prorsus vetati sunt Apostoli praedicare Evangelium in Phrygia , et in regione Galatiae , sive in Asia minori , sed solum ut suspenderent , et prius praedicarent in Macedonia. Etenim postea , ut ibidem cap. XIX. v. 10 legitur , Paulus in illis regionibus biennio commoratus est praedicans Verbum Dei. Et Petrus etiam , ut habemus ex ejus Epist. prima cap. I. v. 1. , nec non Joannes , ut legitur in Apocalypsi cap. I. v. 11. Quod si quaeratur ratio hujus suspensionis , dicimus fuisse , quia tunc illae Regiones , minus forsan quam Macedonia, dispositae erant ad suscipiendum Christi Evangelium.

II. Ad verba Concilii Trident. dicimus , quod fides est initium proximum , et proxima radix justificationis; et gratia praeveniens est initium , et principium , ac radix remota. Et quidem nonne contra Semipelagianos Ecclesia Catholica, de fide tenet , ac docet , quod etiam ad initium fidei necessaria est gratia ? Itaque nos dicimus , gratiam conferri omnibus , etiam Infidelibus negativis , cui si libere Infideles assentiuntur , fidem recipient ; et si fidei quoque gratiae , ut par est , libere respondent , recipient justificationem , ac tandem gloriam aeternam.

III. Et inde patet responsio ad objecta verba D Augustini , et alia similia. Ipse enim loquitur de operibus pro justificatione necessariis , quae sine fide nullatenus haberi possunt , quia viribus naturae , ut supra demon-

stratum est, nihil agere possumus dignum pro statu supernaturali. Et id patet ex contextu. Etenim in libro de *Gestis* Pelagii cap. XIV. n. 34. idem S. Doctor scribit. *Ipsa* (fides) *initium est*, *unde bona opera incipiunt*.

Ad ultimum respondemus, quod quamvis omne, quod a Deo habemus, gratia dici debet, ex eo quod nullum jus habebamus, ut Deus nobis impertiretur, sed ex sola sua bonitate tribuit: tamen cum duplex distinguatur hominis status, naturalis scilicet, et supernaturalis, idcirco quae primum spectant, dicuntur dona naturalia, sive Creatoris; quae autem ad alterum directa sunt, proprie appellantur gratiae Redemptoris, quia hunc statum ex Adae peccato penitus amissum, iterum acquisivimus per Christi Redemptionem uti sunt gratia actualis sive praeveniens, sive comitans, sive sufficiens, sive efficax, et gratia habitualis, sive sanctificans. Et inde patet, quod etsi omnibus ista, praesertim actualis sufficiens, impertiatur, non propterea dici debet donum naturale, sed gratia Redemptoris.

Ad verba autem D. Thomae dicimus, quod S. Doctor loquitur de gratia sanctificante, non vero actuali. Et id manifeste patet ex eadem quaest. XXIV. de verit. art. XI. Et item ex libro III. contra Gent. cap. CLIX. ubi ait. *Deus quantum in se est, paratus est omnibus gratiam dare; vult enim omnes homines salvos fieri, et ad cognitionem veritatis venire... Sed illi soli gratia privantur, qui in seipsis gratiae impedimentum praestant: sicut sole mundum illuminante, in culpam imputatur ei qui oculos clau-*

dit , si ex hoc aliquod malum sequatur : licet videre non possit , nisi lumine solis praeveniente. Nunquid clarius loqui poterat tantus Doctor pro nostra sententia ?

PARS II.

DE GRATIA HABITUALI , SIVE SANCTIFICANTE.

148. Ex eadem oppositione principii Catholicorum , et Protestantium circa originale peccatum , pariter ac dictum est de gratia actuali in prima parte , opposita quoque fluunt dogmata circa gratiam habitualem , sive Sanctificantem. Catholici , quia tuentur , originalem justitiam in Adamo non fuisse veluti essentialem proprietatem naturae humanae, sed donum illi a Deo superadditum , quapropter ex Adae peccato penitus quidem amissum fuisse statum supernaturalem , sed quoad naturalem , fuisse tantum sauciatum ; idcirco quoad Christi Redemptoris gratiam sanctificantem credunt , et docent. I. Quod gratia isthaec intime inhaeret animae , non vero exterius imputatur. II. Quapropter docent , per ipsam gratiam hominem vere a sordibus purificari , et fieri justum , ac sanctum. III. Etsi illam esse donum Dei ; nihilominus in tali dono accipiendo hominem non solum passive se gerere , sed active quoque , libere cooperando gratiae actuali. IV. Verum non ita animae inhaerere, ut non possit amitti per novum peccatum. V. Eamdem non esse aequalem in omnibus; quinimo et augeri , et minui posse. VI. Et quoniam nemo vera cer-

titudine scire potest, num omnes necessarias dispositiones posuerit ad illam assequendam, inde sequitur, quod nemo fide divina credere potest, se vere esse justificatum. Tandem Ecclesia Catholica tenet, opera meritoria vitae aeternae esse fructum justificationis. Et quia opera ista augeri possunt; inde quoque docet, gloriam aeternam non esse omnibus aequalem. Et haec omnia declaravit Concilium Tridentinum sess. VI.

149. Protestantes contra ex opposito principio, quod gratia originalis amissa per originale peccatum pertinebat ad hominis essentiam, necessario inde, ut innuimus (§§. 53. et 54.) in sequentes errores lapsi sunt. Primus error, ex quo veluti a suo principio, caeteri fluunt, est: Quia peccatum originale est veluti quaedam mala substantia in homine inhaerens, omnes humanae facultates non inserviunt, nisi ad peccandum: et propterea omnes hominum actiones sunt totidem peccata, sive manifestationes peccati originalis. II. Nullimode homines possunt se disponere ad justificationem positive cooperando gratiae actuali, sed passive tantum se gerunt. III. Quia originale peccatum est pars essentialis naturae corruptae, nullimode ipsum auferri potest per justificationem. IV. Et propterea justificatio non est interior, sed tantum exterior. V. Scilicet non vere in se homo justificatur, sed solum ex meritis Christi teguntur peccata, quae semper actu persistent, et ipsi Christi justitia imputatur. VI. Et quoniam justitia Christi est semper eadem, nec minui, nec augeri potest; idcirco hominis justificatio, et sanctitas est aequalis in omnibus, et semper eadem, quin possit augeri, vel minui.

VII. Justitia semel apprehensa , nequit amitti. Tandem. Cum Novatores solam fidem necessariam dicunt ad hujusmodi justificationem , per fidem non intelligunt , nisi veram fiduciam , quod Deus nobis non imputat peccata , sed tegit justitia Christi.

150. Exposita doctrina Ecclesiae Catholicae de gratia habituali , seu sanctificante , nec non erroribus Protestantium circa eamdem , opus nunc est illam confirmare , et hos rejicere , et refellere. Sed ut aliquo ordine in tanto negotio procedamus, in tria capita hanc dissertationem , quae ad fidem pertinet , distribuimus. In primo disputabimus de causa , et principio justificationis. In secundo de illius natura , et essentia. Et in tertio de proprietatibus ejusdem.

CAPUT I.

De causa , et principio justificationis

151. Quamvis justitia multipliciter sumatur , nunc tamen accipitur pro transitu hominis a peccato in statum justitiae , et sanctitatis coram Deo , et a peccatore , et inimico , fit Dei amicus. In hoc sensu itaque tota procedit quaestio de gratia habituali , seu sanctificante.

152. Quod autem ad hoc primum caput , pertinet dubitari non potest , quin principium , et radix justificationis sit fides , quoniam Apostolus ad Hebraeos cap. XI. v. 6 ait. *Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum*

quia est, et inquirentibus se remunerator sit. Si ergo per fidem Deo placemus, et nonnisi per fidem possumus ad illum accedere, utique ex fide proximam originem habet nostra justificatio. Diximus autem *proximam*, quia principium, origo, et radix remota est gratia, sine qua nec fides, nec fidei initium haberi potest, ut de fide demonstratum est contra Pelagianos, et Massilienses (prop. III. § 43.). Sed maximum tamen discrimen est inter Catholicos, et Protestantes circa verum sensum, quo accipienda sit. Catholici per fidem hic intelligunt firmum assensum veritatibus a Deo revelatis, et maxime Mysteriis: Haeretici autem intelligunt vivam fiduciam in Dei misericordiam, qua firmiter credimus, per merita Christi nobis peccata tegi, et non imputari. Et propterea dicunt, fidem, qua justificamur, esse notitiam claram promissionum, et etiam Mysteriorum, qua nobis applicamus justitiam Christi. Et inde quoque factum est, ut solam fidem sufficere dixerint ad justificationem, rejectis bonis operibus, quoniam passive solum homo se habet in hoc negotio. Contra ipsos ergo sit de fide.

PROPOSITIO XIII.

Fides, quae est initium nostrae justificationis, non est fiducia in Dei promissis, sed notitia Mysteriorum, et firmus assensus doctrinae a Deo revelatae.

153. Hanc propositionem ad Fidem pertinere, constat ex sess. VI. can. XII. Concilii Tridentini, in quo

statutum est. *Si quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse, quam fiduciam Divinae misericordiae peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse; anathema sit.*

154. *Prob.* Sed prius notandum. Quia etiam Catholici, praeter fidem, inter ceteras dispositiones pro justificatione necessarias, agnoscunt quoque spem, seu fiduciam in Dei misericordia, hic pro majori claritate opportunum erit notare, quodnam discrimen sit inter fiduciam Novatorum, et Catholicorum. Itaque fides, seu fiducia Novatorum non est subjectiva, seu homini intrinseca, nec proinde ullam veram, et intimam relationem habet cum Christo, cujus justitiam apprehendimus, sed est tantum objectiva, et extrinseca. Et quidem Calvinus in lib. III. *Instit.* cap. II. illam assimilat *Ollae, quae in se continet aurum.* Quapropter sicut nulla intrinseca relatio est inter ollam, et aurum, ita nulla pariter est inter hominem, et Christum apprehensum; et sicut pretiosum semper remanet aurum, et vilis semper olla, ita semper purissimus, et Sanctissimus Christus, est, et semper impurus, et peccator homo.

155. His praenotatis, sic ex Scripturis *prob.* Marci cap. ultimo v. 15. et seq. Christus Apostolis praecepit. *Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* Sed Evangelium, cui credere debemus, ut sic per justificationem salvemur, continet doctrinam revelatam, et maxime Mysteriorum. Ergo initium justificationis non est fiducia in Dei promissic-

nibus, sed assensus doctrinae a Deo revelatae, etsi quoque in Deo ipso nostram spem reponere debeamus. *Haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus.* Rursus in Act. Apost. cap. VIII. v. 37. Eunuchus petens Baptismum, sic Philippo suam profitetur fidem. *Credo Filium Dei esse Jesum Christum.* Tandem, ut caetera omittamus, Apostolus ad Rom. cap. X. v. 9. ait. *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum et in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris.* Quid clarius, ut per fidem, quae est initium salutis, non debeat intelligi fiducia Novatorum, sed firmus assensus doctrinae a Deo nobis revelatae, et maxime Redemptionis Mysterio?

156. *Prob.* Theologica ratione. Universa Ecclesia semper a sui primordiis ad Baptismum disposuit instruendo Catechumenos in doctrina Mysteriorum, praesertim Dominicae Incarnationis, et hanc ipsam doctrinam vult, ut profiteantur cum ad ablutionem accedunt. Ergo ex vera divina Traditione fides, quae est initium et radix justificationis, non est fiducia protestantium, sed assensus etc. Deinde. Fiducia in promissis Dei pendet, et quidem proportione directa, a notitia, quam habemus de Divinis perfectionibus, et maxime de summa bonitate, et charitate, qua eo usque nos dilexit, ut suum consubstantialem Filium dederit pro nostra Redemptione, et salute. Sed cognitio isthaec habetur per fidem Catholicorum. Ergo fiducia Novatorum est effectus fidei: et propterea non ipsa, sed fides, quae est notitia

Mysteriorum et firmus assensus doctrinae a Deo revelatae, est initium justificationis.

Solvuntur objectiones.

156. *Ob.* Matth. cap. IX. v. 2. Christus ait Paralytico: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.* Ergo fiducia est fides, quae justificat. Idipsum confirmatur in aliis locis, et praesertim ab Apostolo ad Rom. cap. IV. v. 18. ubi de fide, qua Abraham Geneseos cap. XV. fuit justificatus, ait: *Contra spem credidit etc.* Et v. 20. *In repromissione etiam Dei non haesitavit diffidentia, sed confortatus est fide dans gloriam Deo.* Ergo fides, qua justificatus fuit Abraham, fuit fiducia in Dei promissionibus, non vero fides historica.

R. His, et similibus Sacrae Scripturae locis responsio patet ex dictis superius (§. 152). Etenim si fiducia est effectus fidei, uti fides est assensus auctoritati Dei revelantis, procul dubio in ratione, qua crescit notitia divinarum perfectionum, quae habetur per fidem, seu assensum doctrinae revelatae, tanto firmior erit fiducia. Quapropter fiducia dici potest securum signum naturae fidei interioris. Et inde factum est, ut cum tanta fuerit fiducia Abraham, ut quasi in vera contradictione speraverit, supra modum fuerit illius fides, sive assensus notitiae, quam per revelationem habebat de Dei perfectionibus, et maxime de illius veracitate, et potentia infinita, quasi ex unico Filio, quem occidere jussus erat, innumera progenies esset futura. Ergo initium, et radix justificationis Abraham fuit fides Ca-

tholicorum, non vero illius effectus, ut est fiducia Protestantium. Et idipsum dicendum est de verbis Christi ad Paralyticum: *Confide, fili*, etc.

PROPOSITIO XIV.

In adultis sola fides non sufficit ad justificationem, sed aliae necessariae sunt dispositiones.

157. Ad fidem quoque pertinet haec nostrae propositio. Etenim sic a Conc. Trid. sess. VI. can. IX. definitum fuit: *Si quis dixerit, sola fide impium justificari, ita ut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, et nulla ex parte necesse esse, eum suae voluntatis motu praeparari, atque disponi, anathema sit.*

158. *Prob.* ex Scripturis. Ezechielis cap. XVIII. v. 22. habemus: *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est, et custodierit omnia praecepta mea, et fecerit judicium, et justitiam: vita vivet, et non morietur.* Ergo ad salutem, seu justificationem, praeter fidem, requiritur quoque poenitentia, et observantia legis Domini. Idipsum legimus apud Lucam cap. XIII. v. 3.: *Nisi poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Et eadem poenitentia simul cum baptismate absolute omnibus praescribitur a Principe Apostolorum cap. II. v. 38.: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus San-*

cti. Et de eodem sacramento Baptismatis Joannis cap. III. v. 5. Christus ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*. Sed adde, quod ad fidem necessario requiritur Charitas, unde Apostolus ad Galatas cap. V. v. 6. scribit: *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet; neque praeputium, sed fides, quae per charitatem operatur*. Et ad Corinth. cap. XIII. v. 2.: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum*. Sed silentium prorsus imponit Protestantibus Jacobus Apost. in sua catholica Epist. cap. II. v. 14. dicens: *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides salvare eum?* Et ibidem v. 17.: *Sic et fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa*. Ergo etc.

159. *Prob*. ex Sanctis Patribus. Cum per se luculentissima sint allata Scripturarum testimonia, opus quidem non esset ad confirmandum illorum sensum Divina Traditione, quae habetur ex doctrina Sanctorum Patrum: nihilominus nonnullos adducimus, ut potius cognoscamus, quaenam aliae dispositiones, praeter fidem, ad justificationem requiruntur. Itaque Augustinus lib. de *nat. et grat*. cap. ultimo. n. 84. ait: *Charitas ergo inchoata, inchoata justitia est; charitas provecta, provecta justitia est: Charitas magna, magna justitia est*. Et tract. IX. in Epist. Joannis: *Stimulat timor, sed noli timere, intrat Charitas, quae sanat, quod vulnerat timor*. Ergo ad justifica-

tionem, praeter fidem, necessaria est charitas. Quinimo, etsi ipsa a fide procedat, propius tamen accedit ad formalem justificationem. Clemens Alexandrinus lib. II. *Strom.* ait: *Fides est prima ad salutem inclinatio, post quam timor, spes, et poenitentia.* Ergo tria etiam haec requiruntur, scilicet timor, spes, et poenitentia. Et sic de aliis dispositionibus apud alios Patres.

160. Sed omnes ipsae exponuntur a Conc. Trident. sess. VI. cap. VI. his verbis: *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia, et adjuti* (en gratia praeveniens, et comitans) *fidem ex auditu concipiunt libere moventur in Deum* (en libera cooperatio ex parte hominis) *credentes vera esse, quae divinitus revelata, et promissa sunt* (en vera fides, scilicet assensus Doctrinae revelatae, quam sequitur spes), *atque illud in primis, a Deo justificari impium per gratiam ejus, per Redemptionem, quae est in Christo Jesu, et dum peccatores se esse intelligentes, a divinae justitiae timore, quo utiliter concutiuntur* (en timor, qui excludit certam fiduciam Protestantium), *ad considerandam Dei misericordiam se convertendo*, (en mutatio vitae) *in spem eriguntur fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore*, (en vera spes) *illumque tanquam omnis justitiae fontem diligere incipiunt*: (en charitas); *ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, et detestationem* (en odium peccati), *hoc est per eam poenitentiam, quam ante Baptismum agi oportet: denique cum proponunt suscipere Baptismum*,

inchoare novam vitam, et servare Divina mandata. De hac dispositione scriptum est etc. Et sic omnes dispositiones comprobantur ex Scripturis. Concludentum igitur etc.

161. *Coroll.* Ex dictis, veluti pro corollario, sequitur contra Protestantes, quod homines in sui justificatione, non mere passive se gerunt, sed etiam active, uti de fide declaratum fuit ab eodem Concilio ibidem can. IV.: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum, et excitatum nihil cooperari, assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat, ac praeparet, neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere; anathema sit.*

Solvuntur objectiones

162. *Ob.* Apostolus ad Rom. cap. III. v. 20 ait: *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro.* Ergo pro justificatione ad nihilum inserviunt opera, sed sola fides sufficit.

℟. *cum dist.* Et Apostolus loquitur de operibus legis naturalis Gentilium, et etiam legis mosaicae, *conc.* Loquitur de operibus legis Evangelicae, et gratiae, *subdist.*; si opera ista inspiciantur veluti sunt in se, et separata a fide, *conc.* si considerentur cum fide conjuncta, et ut effectus necessarii verae Christi fidei, quae est initium, et radix omnium dispositionum, *nego ant.* Ergo etc. n. cons. Itaque scopus Pauli in objecto te-

stimonio, ut videre est ex toto illo capite, est docere, quod opera legis judaicae, et etiam naturalis, ad nihilum valent pro vera justificatione apud Deum, ut inde observantia illarum, iterum acquirere potuissent homines veram Dei amicitiam, et statum supernaturalem penitus amissum per originale peccatum; sed valere tantum ad externam justitiam, et pro bonis status naturalis. Et ratio per se patet, quia opera status naturalis, ut in priori parte diximus, nullam proportionem habent cum statu supernaturali. Nec valet dicere, quod respectu Judaeorum lex ipsorum erat a Deo. Etenim licet Divina ipsa fuerit, tamen, non satisfacta Dei justitia, non poterat per se causare interiorem justificationem, sed solum erat figura, et dispositio ad legem gratiae, in qua, satisfacta justitia divina per Christum Redemptorem, vera interior justificatio haberetur, et supernaturalis status remitteretur. Vera igitur dicit Paulus, quod per legem non justificabantur homines, quoniam illa lege non remittebatur peccatum, sed solum agnoscebatur. Quapropter necessarium erat amplecti legem gratiae, scilicet Christi Religionem figuratam a lege Moysis. Unde subdit: *Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi.* Et id quidem tam Judaeis, quam Gentilibus: *In omnes, et super omnes, qui credunt in eum*: *Non enim est distinctio*: quia scilicet omnes in Adam peccaverunt, et indigent Christi Redemptione: *Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei.*

163. Contra. Atqui Apostolus in allato testimonio superflua dicit opera, etiam in Christi Religione. Ergo etc. *Prob.* Ibidem Apostolus v. 24. dicit: *Justificati*

gratis per gratiam ipsius, per Redemptionem, quae est in Christo Jesu. Ex quibus sic: Procul dubio Paulus hic loquitur de justificatione in lege Christi. Sed dicit, quod justificamur gratis, scilicet ex sola Dei bonitate sine nostris operibus; et quidem vera justificatione. Ergo etc.

℟. *dist. min.* Dicit quod justificamur gratis, quia sine ullo nostro merito redempti sumus a Christo, et sua praeveniente, et comitante gratia vocati sumus ad suam fidem, conc., dicit, quod justificamur gratis, quasi necessaria non sit nostra cooperatio gratiae illius, et ad fidem opera non sint necessaria, n. Non semel dictum est, quod Deus ut infinitam suam ostenderet bonitatem, sic disposuit oeconomiam nostrae salutis, ut cum ipse sit auctor omnium, illa tamen penderet quoque a libera nostra cooperatione. Sic in statu innocentiae, in Adae libertate posuit servare et sibi, et nobis statum supernaturalem, et originalem justitiam; et sic pariter non absolute, sed dependenter a nostra voluntate, illum ex Adae peccatum perditum voluit per Christi Redemptionem restituere. Gratis omnino talem statum tribuit Adae, sine ullo illius merito; et ita gratis pariter restituit omnibus Adae posteris per Christi Redemptionem, sine ullo nostro merito. Sed non tamen sic absolute, ut nostra salus non pendeat quoque a libera nostra voluntate, et cooperatione. Causa vere meritoria nostrae justificationis est Christus homo Deus, effectrix est Deus, et cooperatrix est homo. Itaque debemus, si sumus adulti, cooperari gratiae, ut assequamur fidem, et cooperari fidei, ut assequamur, et

servemus justificationem. Nec id minuit, sed potius mirifice auget Dei bonitatem; quoniam, cum ipse sit auctor, et donator omnium, tamen in oeconomia nostrae aeternae salutis locum habent nostra merita, ita ut haec dici possit corona, merces, et praemium. Sed numquid ita non gratis a Deo justificamur? Quinimo eo magis gratis, quia gratis per Christum satisfecit suae justitiae, et gratis propterea facultatem dedit iterum assequendi statum supernaturalem; gratis omnino tribuit gratiam praevenientem, et concomitantem, unde assequamur fidem; et gratis sine ullo merito dedit, ut nostra opera, non sine sua gratia posita juxta Christi legem, sint veluti merita sufficientia pro assequenda justificatione, et inde aeterna vita beata.

164. *C:* Atqui ex Apostolo ita gratis justificamur in lege evangelica, ut nullimode necessaria sint nostra opera. Ergo etc. *Prob: min. subs.* Postquam Apostolus ibidem v. 26 de lege Evangelica dixit: *ut sit ipse justus, et justificans eum, qui est ex fide Jesu Christi;* statim subdit: *ubi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non. Sed per legem fidei.* Ex quibus sic licet argumentari. Procul dubio in hoc loco Apostolus loquitur Judaeis, qui gloriabantur de suis operibus factis secundum legem *factorum*, quae certe fuit lex mosaica. Sed dicit, hujusmodi gloriationem jam exclusam esse per *legem fidei*, scilicet Evangelicam. Ergo ex Apostolo etc.

℞. *dist. maj.* Loquitur de Judaeis, qui gloriabantur de suis operibus factis secundum legem Mosaicam, quasi illa justificarent, et adhuc necessaria essent, conc.

Loquitur absolute, quasi, cessata illa lege, non amplius sub lege gratiae opera necessaria essent, *neg. maj.* Sed dicit, hujusmodi gloriationem operum sub lege Moysis exclusam esse per legem fidei, conc., exclusam esse, quia in hac lege non amplius necessaria sunt nostra opera, nego min. et cons. Quia Judaei nimis gloriabantur de suis operibus factis sub lege Moysis, et nimis etiam erronee, quoniam existimabant, per eadem se justificari, et quidem sine fide in Christum venturum, quia jam ventum impie, et crudelissime interfecerant; idcirco dicit, exclusam esse illorum gloriationem, et quidem non per illam legem, sed per legem gratiae, quia illa jam cum suis caeremoniis cessaverat, et locum habebat vera lex gratiae ab illa figurata. Ergo Paulus loquitur de vana gloriatione operum legis *factorum*, quae jam cessaverat per legem gratiae, non vero de operibus, quae veram Christi fidem necessario, in adultis, praecedere, et sequi debent, quemadmodum ipse Apostolus saepe insinuat, et praecipit, maxima in eadem Epist. ad Romanos cap. XII. v. 12. et caeteri Apostoli docent, praesertim Jacobus cap. II. et Joannes in tota Epist. prima.

165. *C.* Atqui Apostolus in laudato loco omnia opera excludit in nostra lege Evangelica. Ergo etc. *Prob. subs.* Post laudata verba Apostolus immediate subdit: *Arbitramur enim justificari hominem per fidem, sine operibus legis.* Quid clarius? Ergo etc.

℟. Apostolus loquitur de operibus legis mosaicae, non vero de operibus, quae in lege evangelica praescribuntur, et sine quibus ipse idem, et in eadem Epist. cap.II. v.13.

dicit, quod haberi non potest justificatio: *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.* Et quia multi sustinebant, quod servari quoque debebant praescripta legis mosaicae, ut erant caeremoniae, et maxime circumcisio, propterea dicit: *Arbitramur etc.*

166. *Monitum.* Innumera ferme Scripturarum loca adduci solent a Protestantibus, in quibus a sola fide asseritur nostra justificatio. Sed omnibus responsio est, quod per fidem intelligitur fides viva, et vera, quae per se stare non potest sine operibus, et quae ex tota Scriptura cum operibus conjungi debet, et maxime cum charitate. Sic Habacuc cap. II. v. 4. *Justus ex fide vivit.* Geneseos cap. XV. v. 6.: *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam. Lucae* cap. VII. v. 50: *Fides tua te salvam fecit.* Item cap. VIII. v. 50.: *Crede tantum, et salva erit etc.* Et ita pariter interpretanda sunt nonnulla dicta Sanctorum Patrum nisi loquantur de fide veluti principio ita necessario, ut sine ipso nulla alia sufficiat dispositio.

CAPUT II.

De natura et essentia justificationis.

167. Quod ad rem spectat, quam cum Protestantibus habemus, duplici modo in Scripturis sumitur justitia. I. pro vera interiore renovatione, ut in prima Pauli Epist. ad Corinth. cap. VI. v. 11.: *Et haec quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis*

sed justificati estis, in nomine Domini nostri Jesu Christi, in Spiritu Dei nostri. II. pro externa declaratione justitiae, quin interior fiat mutatio, sed idem in se peccator manet homo, et solum non fert poenam suorum peccatorum. Prior sententia est Catholicorum, altera Protestantium, qui rejicientes interiorem justitiam per gratiam animae inhaerentem, negant propterea peccata vere remitti, et dicunt, quod solum non imputantur, quoniam teguntur justitia Christi. Contra ipsos itaque sit de fide.

PROPOSITIO XV.

Homines non justificantur per solam exteriorem imputationem justitiae Christi, sed per veram interiorem renovationem, et gratiam, ac charitatem, quae per Spiritum Sanctum in illorum cordibus diffunditur, et illis inhaeret.

168. Utraque pars hujus propositionis est de fide. Etenim sic a Conc. Trident. sess. VI. can. XI. sancitum est: *Si quis dixerit, hominem justificari vel sola imputatione justitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia, et charitate, quae in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhaereat: aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei; anathema sit.* Et in eadem sess. cap. VII. haec de justificatione habemus: *Hanc dispositionem, seu praeparationem justificatio ipsa consequitur, quae non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio, et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem*

gratiae , et donorum. Unde homo ex injusto fit justus , et ex inimico amicus , ut sit haeres secundum spem vitae aeternae. Hujus justificationis causae sunt finalis quidem , gloria Dei , et Christi , ac vita aeterna : efficiens vero , misericors Deus , qui gratuito abluit , et sanctificat , signans , et ungens Spiritu promissionis Sancto , qui est pignus haereditatis nostrae : meritoria autem , dilectissimus unigenitus suus , Dominus noster Jesus Christus , qui cum essemus inimici , propter nimiam Charitatem , qua dilexit nos , sua sanctissima Passione in ligno crucis nobis justificationem meruit , et pro nobis Deo Patri satisfecit : instrumentalis item Sacramentum Baptismi , quod est Sacramentum fidei , sine qua nulli unquam contigit justificatio : demum unica formalis causa est justitia Dei ; non qua ipse justus est , sed qua nos justos facit; qua videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostrae , et non modo reputamur , sed vere justi nominamur , et sumus , justitiam in nobis recipientes , unusquisque suam secundum mensuram , quam Spiritus Sanctus partitur singulis , prout vult et secundum propriam cujusque dispositionem , et cooperationem. Quamquam enim nemo possit esse justus , nisi cui merita passionis Domini nostri Jesu Christi communicantur : id tamen in hoc impii justificatione fit , dum ejusdem sanctissimae Passionis merito per Spiritum Sanctum Charitas Dei diffunditur in cordibus eorum , qui iustificantur , atque ipsis inhaeret. Unde in ipsa justificatione cum re-

missione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, et charitatem; nam fides, nisi ad eam spes accedat, et charitas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit; qua ratione verissime dicitur: fidem sine operibus mortuam, et otiosam esse. Ex hoc capite non solum habetur veritas praesentis nostrae thesis, sed etiam tota catholica doctrina justificationis adversus Protestantes.

169. *Prob.* ex Scripturis. Homines non justificantur per solam exteriorem imputationem justitiae Christi etc. si vere illis peccata remittantur, et deleantur. Sed ita clarissime Sacra Scriptura tam veteris, quam novi Testamenti docet. Ergo etc. *Prob. min.* Et quidem ex veteri Testamento Isaiae cap. XLIX. v. 22. habemus: *Delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua.* Ergo peccata non teguntur exterius justitia Christi, sed revera delentur. II. Ezechielis cap. XXXVI v. 25, Dominus dicit: *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Ergo peccata revera mundantur. III. In lib. II. Regum cap. XII. v. 13. scriptum est: *Dominus transtulit peccatum tuum.* Si a Davide, de quo loquitur, peccatum translatum fuit, utique non amplius fuit in illo.

170. Sed id clarius constat ex libris novi foederis. Etenim. Joan. cap. I. v. 12. habemus: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* et v. 29. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* et cap: XIV. v. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum serva-*

bit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Si ergo per justificationem efficimur filii Dei: Si Christus tollit nostra peccata: si tam valde a Patre diligimur, ut in nobis maneat, nonne prorsus delentur nostra peccata, et nos interius renovamur? Apostolus in epist. I. ad Corinth. cap. VI. v. 11. ait: *Abluti estis, sanctificati estis, justificati estis.* Item ad Hebraeos cap. I. v. 3. de Christo dicit: *Purgationem peccatorum faciens.* Et ad Ephesios cap. V. v. 8. *Eratis aliquando tenebrae: nunc autem lux in Domino.* Et ibidem v. 26, et seq. habemus, Christum passum, ut Ecclesiam *Sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta, et immaculata.* Et ad Titum cap. III. v. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus Sancti, quam effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius haeredes simus secundum spem vitae aeternae.* Ergo homo non justificatur per exteriorem imputationem justitiae Christi, sed per veram interiorem renovationem.

171. Quod si ita clare loquuntur Scripturae, non opus est quaerere ex doctrina Patrum divinam, et Apostolicam Traditionem. Sed tamen ut desinant Haeretici Protestantes pro sui causa invocare auctoritatem Doctoris Augustini, aliqua hujus tanti Doctoris afferimus. Itaque Augustinus in lib. de spir. et litt. cap. IX. loquens de justificatione, quam habemus per fidem in

Christum, ait: *Sicut autem ista fides Christi dicta est, non qua credit Christus; sic et illa justitia Dei, non qua justus est Deus, utrumque enim nostrum est, sed ideo Dei, et Christi dicitur, quod ejus nobis largitate donatur.* Et cap. XXXII. n. 65. ait: *Charitas quippe Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos; sicut justitia Dei, qua justi ejus munere efficimur, et Domini salus, qua nos salvos facit; et fides Jesu Christi, qua nos fideles facit.* Dicant nunc Protestantes ipsi, num clarius Augustinus adstruere potuerit veram interiorem renovationem per Christi gratiam, et non per solam exteriorem imputationem justitiae ejusdem.

Solvuntur objectiones.

172. *Ob.* Sacra Scriptura in multis locis dicit, homines justificari per externam imputationem justitiae Christi, non vero per interiorem renovationem. Ergo etc. *Prob. ant.* Apostolus in secunda Epist. ad Corinth. cap. V. v. 14. ait: *Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis debita ipsorum, et posuit in nobis verbum reconciliationis.* Ex quibus sic fas est argumentari. Ex allato Pauli testimonio Deus per Christum, procul dubio veluti Mediatorem, sibi nos reconciliat, non delendo nostra peccata, sed tantum non imputando, et posuit in nobis non justitiam pro justitia, sed solum verbum reconciliationis. Ergo justificatio est exterior, scilicet non per

interiorem renovationem, sed per externam imputationem justitiae Christi.

℟. Admissa auctoritate Apost. sed *neg. ant.* Utique Deus sibi nos reconciliavit per Christum uti Mediatorem; at non mediatorem rogantem solum, sed Sponsorem quoque solventem nostrum debitum, et quidem ad justitiae rigorem. Et requidem vera Deus in Christo posuit iniquitates omnium nostrum. Quare? Certe ut morte acerbissima illarum poenam solveret. Sed cum debitum reipsa solvitur, licet ab alio nomine debitoris, jam ipsum non tegitur, neque dissimulatur, sed deletur prorsus. Ergo per Christum Mediatorem, et sponsorem solventem, revera satisfacta est Dei justitia, non amplius debitores sumus peccatorum. Ergo revera in nobis justi sumus, non vero per non imputationem nostrorum delictorum, quasi in nobis integra adhuc remaneant peccata, quae exterius solum teguntur justitia Christi. Ablatum est chirographum, quod erat contra nos, et affixum fuit cruci. Non amplius per hoc rei sumus, non amplius debitores, cum positis omnibus dispositionibus, per fidem veram adscribimur numero redemptorum. Et non aliud debitum in nobis remanet, nisi illud, ut recte servemus praecepta Christi legis, sub qua conditione ipse nos recipit in numero justorum, et simul ut grati simus tanto Redemptori, illi aeternas gratias agendo.

173. *C.* Atqui homines non justificantur per interiorem renovationem, quasi vere deleantur nostra peccata, sed solum non imputantur per exteriorem justitiam Christi, qua teguntur. Ergo etc. *Prob.* Idem Apostolus in Epist. ad Ephesios cap. IV. v. 24. Scribit: *Induite*

novum hominem , (Christum) *qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis*. Qua posita auctoritate , ita fas est argumentari. Apostolus in allato loco comparat nostram justificationem indumento, quo tegi opus est , et dicit indumentum hoc esse Christum. Sed indumentum est extrinsecum , non intrinsecum , et tegit solum , non vero tollit defectum. Ergo extrinseca quoque est nostra justificatio , scilicet imputatio justitiae Christi.

℟. *neg. ant.* Falsum prorsus est , quod Apostolus in objecto testimonio comparat nostram justificationem indumento , quo tegi debemus ; sed dicit , quod pro exemplari debemus sequi Christum , scilicet expoliari , sive deponere operationes veteris hominis Adae, et componere mores secundum legem novi hominis Christi , qui secundum Deum creatus est in justitia , et sanctitate. Et id evidenter patet ex verbis , quae immediate sequuntur , scilicet : *Propter quod deponentes mendacium , loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo : quoniam sumus invicem membra . . . Nolite locum dare diabolo : qui furabatur , jam non furetur etc.* Et ut pariter scribit ad Coloss. cap. III. v. 9. et seq.: *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis , et induentes novum , eum qui renovatur in agnitionem , secundum imaginem ejus , qui creavit illum.* Ergo ex Apostolo per justificationem renovamur in imaginem Dei , in qua Adam creatus fuit , et quam perdidit peccando , ut dicit Augustinus lib. VI. *de Gen. ad litt.* cap. XXVI. : *Hanc imaginem in Spiritu mentis impressam perdidit Adam per peccatum , quam recipimus per gratiam justitiae.*

174. *C.* Atqui ex Apostolo homines non justificantur per interiorem renovationem, sed per solam exteriorem imputationem justitiae Christi, qua peccata teguntur. Ergo etc. *Prob. min. subs.* Idem Apostolus ad Rom. cap. IV. postquam dixit, quod sicut Abraham non justificatus fuit ex operibus, sed quia *credidit Deo et reputatum est illi ad justitiam*, et rationem quoque addidit, *ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Ei vero, qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus in justitiam*; ita concludit v. 7.: *Beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Ergo etc.

℟. Et quidem I. Apostolus cum de Abraham dicit, quod non ex operibus justificatus est, loquitur de operibus tam legis naturae, quam Moysis, quae in seipsis, seclusa fide in Christum futurum, nihil valebant ad veram interiorem justificationem, sed ad exteriorem tantum, qua justi apud homines videbantur. Cum autem dicit eumdem justificatum fuisse per fidem, loquitur de vera fide, et etiam, si non expresse, tacite saltem, in Christum futurum, quae cum operibus, maxime charitate, et spe, esse debet conjuncta. Recte autem dicit, quod fides ista Abrahae imputata est ad justitiam, quia ipsa per se considerata ut opus hominis, non potest producere veram justificationem, sed revera producit ex gratiosa, benevola, et liberali Dei voluntate, *secundum propositum gratiae Dei*, ut di-

citur v. 5, et ut explicavit Concilium Trident. sess. VI. cap. VIII.: *Gratis autem justificari ideo dicimur, quia nihil eorum, quae justificationem praecedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur. Si enim gratia est, jam non ex operibus, alioquin ut idem Apostolus inquit, gratia jam non est gratia.* Ergo cum Apostolus v. 7., pariter ac David Psal. XXXI. v. 1. dicit: *Beati, quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata*, eodem sensu haec verba intelligenda sunt: scilicet, quod revera iniquitates remissae sunt, et deletae; verum non ex operibus nostris, nec etiam ex fide in se considerata, ut opus nostrum, sed quia sic misericorditer vult Deus propter merita Christi, quae sunt veluti emplastrum, quod tegit, ut vere sanet, et destruat nostra peccata. Et quidem si nostra peccata tegerentur Christi meritis, ipsa procul dubbio non aliis, quam Dei oculis tegerentur, alioquin si solis oculis hominum tegerentur, nullum discrimen esset inter justificationem per opera legis naturae, et scriptae, et per fidem in Christum Redemptorem. Sed quidquid existit, occultum esse non potest oculis Dei. Ergo cum peccata tecta dicuntur, et id per fidem in Christum, intelligi debent prorsus deleta. Ita Sancti Patres, praesertim Naz. oratione in *S. Lavacrum*, August. *contra duas Epist. Pelagii* cap. XIII:, Greg. in Psal. secundum Poenitentialem, et Theod. in Psal. XXXI.

175. Atqui ex Apostolo homines in Christo justificantur per extrinsecam imputationem justitiae Christi, non vero per interiorem renovationem. Ergo etc. *Prob.*

*

min. subs. Apostolus in Epist. II. ad Corint. cap. V. v. 21. veluti per antithesim dicit : *Eum* , *qui non noverat peccatum* , *pro nobis peccatum fecit*, *ut nos efficeremur justitia Dei in ipso*. Sed nonnisi extrinsece Christus factus est peccatum. Ergo nonnisi extrinsece pariter nos efficimur justitia Dei in ipso.

℟. Cum Apostolus dicit, quod Pater Christum fecit peccatum pro nobis, improprie id intelligi debet, scilicet quod super illum posuit iniquitates omnium nostrum, ut se daret hostiam pro expiatione illarum, non vero quod Christus ex justo, et Sanctissimo, in se, et formaliter factus sit injustus, et peccator. Ergo sensus antithesis est, quod sicut causa meritoria mortis Christi fuerunt nostra peccata ; ita causa meritoria nostrae justificationis fuerunt Christi mors, et cruciatus.

176. Inst. ultimo. In Psal. CXLII. v. 2. legimus : *Non intres* (Domine) *in judicium cum servo tuo* : *quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*. Ergo nulla datur vera justitia, qua interius renovemur, sed extrinseca tantum, et imputativa. Et Jsaiae cap. LXIV. v. 6. quaevis hominum justitia comparatur panno mestruatae : *Quasi pannus mestruatae omnes justitiae vestrae*. Ergo interius homines semper sunt abominabiles, et solum exterius tecti sunt justitia Christi.

℟. Et quidem ad verba psal. respondet Augustinus dicens, sensum esse, quod nullus est, qui in omnibus, et constanter semper sit justus, ita ut aliquando, imo in dies, non leviter saltem peccet, juxta illud : *Septies in die cadit justus*. Deinde allata verba intelligi possunt comparative ad justitiam Dei, coram qua

quasi nulla est sanctitas, et justitia hominum. Tandem: nullus in conspectu Domini justificabitur homo viribus naturae, concedimus, virtute gratiae Redemptoris, negamus.

Ad alterum testimonium, scilicet Isaiae, omnes Interpretes dicunt, Prophetam ibi loqui de Judaeis, qui suam justitiam, et sanctitatem reponebant in caeremoniis exterioribus legis, cor autem ipsorum longe erat a Deo; quapropter non justi, sed abominabiles erant apud Dominum.

177. Omittimus objectiones ex sanctis Patribus, ut quae ex hactenus dictis facillime solvuntur; et unum afferimus S. Bernardum, qui serm. LXI. in Cant. commentans verba Psal. LXX. v. 16.: *Domine, memorabor justitiae tuae solius*, dicit. *Ipsa enim est mea; nimirum factus es mihi tu justitia a Deo. Numquid mihi verendum est, ne non una ambobus sufficiat? Non est pallium breve, quod secundum Prophetam, non possit operire duos.* Ergo, dicunt Protestantes, justitia hominum est eadem, ac justitia Christi, qua, non secus ac pallio, extrinsece nostra peccata teguntur.

℟. Sanctus Bernardus in loco in objectione allato nihil aliud significare voluit, nisi quod Christus est causa meritoria nostrae justificationis. Et clarissime patet ex quo ibidem ait: *Meum proinde meritum miseratio Domini. Non plane sum meriti inops, quamdiu ille miserationum non fuerit; quod si misericordiae Domini multae, multis ergo in meritis sum.*

CAPUT III.

De proprietatibus justificationis.

178. Ex erroneo principio Protestantium, quod justificatio in homine non sit vera, scilicet interior renovatio, quam fides per charitatem operatur, sed solum exterior justitia Christi, quae nobis imputatur, quam per fiduciam, quae est illorum fides, apprehendimus, alii errores circa justificationis proprietates, veluti necessaria corollaria fluunt. Et quidem primo, quia per fidem (fiduciam) Christi justitiam apprehendimus, et fide divina tenemur habere hanc fidem, seu fiduciam; idcirco fide Divina quoque tenemur credere, nos esse justificatos per justitiam Christi imputativam. Secundo. Quoniam justitia Christi eadem semper est, nec augumento, aut diminutioni subjecta, propterea dicunt, justificationem esse aequalem in omnibus, et eamdem semper. Tandem, quia ipsa eadem justitia certo apprehenditur per fiduciam, et non per fidem Catholicorum, quae est firmus assensus doctrinae revelatae, et fiducia per Lutheranos amitti potest, per Calvinistas vero non, ideo per Calvinistas justificatio semel apprehensa numquam amitti potest, et per Lutheranos amittitur, cum amittitur fides, sive fiducia. Hos itaque errores profligare oportet in hoc capite. Et propterea sit de fide; saltem quoad secundam partem, sequens.

PROPOSITIO XVI.

Non potest homo, sine speciali revelatione, certus esse de sua justificatione: nec fide divina tenetur credere, se esse justificatum.

179. Quod prima pars certa sit contra Ambrosium Catharinum, qui distinquens certitudinem fidei Divinae a certitudine fidei catholicae, dicebat, fidei Divinae subesse posse falsum, at non vero fidei catholicae, ut quae universae Ecclesiae proponitur, id patet ex communi consensu Sanctorum Patrum, quorum nullum invenies, qui contra senserit, et etiam declaratum fuit a Concil. Trident. sess. VI. cap. IX. his verbis: *Sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque Sacramentorum virtute, et efficacia dubitare debet: sic quilibet, dum seipsum, suamquae infirmitatem, et indispositionem respicit, de sua gratia formidare, et timere potest, cum nullus scire valeat, certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.* Ast quoniam directe hic Concilium agit contra Protestantes, qui dicebant, quod fide divina tenemur credere nos esse justificatos, et hunc errorem solemniter damnat, ut mox videbimus, idcirco dum secundam partem nostrae propositionis dicimus pertinere ad fidem, non idem dicimus de prima.

180. Itaque de secunda parte sic manifeste damnatur error Novatorum a Conc. Trident. sess. VI. can. XIII.:

Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut credat certo, et absque ulla haesitatione propriae infirmitatis, et indispositionis, peccata sibi esse remissa; anathema sit. Et ibidem can. XIV. *Si quis dixerit, hominem a peccatis absolvi, ac justificari ex eo, quod se absolvi, ac justificari certo credat, aut neminem vere esse justificatum, nisi qui credat, se esse justificatum, et hac sola fide absolutionem, et justificationem perfici; anathema sit.*

181. *Prob.* utraque pars ex Scripturis. Proverb. cap. XX. v. 9. scriptum est: *Quis potest dicere: mundum est cor meum, purus sum a peccato?* Item Ecclesiastes cap. IX. v. 1. et seq. *Omnia haec tractavi in corde meo, ut curiose intelligerem: sunt justi, atque sapientes, et opera eorum in manu Dei: et tamen nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit: sed omnia in futurum servantur incerta.* Tandem Apostolus in I. ad Corinth. cap. IV. v. 4. de seipso ait: *Nihil enim mihi conscius sum sed non in hoc justificatus sum: qui autem judicat me, Dominus est.*

182. *Prob.* ex Sanctis Patribus. Communis est haec doctrina SS. Patrum; sed brevitatem sectantes unum, vel alterum afferimus. Itaque Augustinus, in quo Protestantes tantopere fidunt, in Psal. XLI. dicit: *Novi, quia justitia Dei mei manet; utrum mea maneat, nescio.* Bellarm. lib. III. de just. cap. III. et in lib. de perfect. just. cap. XV. n. 33., ait: *Quantalibet justitia sit praeditus homo, cogitare debet, ne ali-*

quid in illa; quod ipse non videt, inveniatur esse culpandum. Et Hieronymus lib. II. contra Pelagium ad illa Apostoli verba, *nihil mihi conscius sum*, *ait*: *Qui hoc dicebat, nullius utique peccati sibi conscius erat, sed quia legerat*, delicta quis intelligit? *idcirco temperabat sententiam, ne forte per ignorantiam deliquisset.*

183. *Prob.* tandem theologica ratione. Ex Protestantibus, non omnes sunt praedestinati: item justitia semel apprehensa, saltem ex doctrina Calvini, amitti non potest. Ergo si ex fide divina quisque credere deberet, se esse justificatum, aut multi justi damnarentur, aut fidei Divinae subesset falsum, quorum utrumque est absurdum. Ergo nemo fide divina credere potest, se esse justificatum. II. Illa tantum fide divina credere possumus, et debemus, quae a Deo revelata sunt. Sed nusquam Deus revelavit quinam sint justi, qui vero non, quinam sint praedestinati, et quinam reprobi. Ergo etc. Et id valet etiam respectu Lutheranorum, qui cum fidem amitti posse dicant, dicunt quoque posse amitti justificationem. Etenim nulli unquam Deus revelavit, neque revelabit, utrum teneat adhuc fidem, an vero amiserit. III. Ut de sua justificatione quisque certus esse possit, quisque certus esse debet, quod rite vera Sacramenta susceperit, praesertim Baptismum, sine quo salus haberi nequit, *nisi quis renatus fuerit ex aqua etc.* Sed id certitudine fidei non constat, quia nusquam per veram revelationem scire possumus, num Minister veram materiam, et formam cum intentione adhibuerit, et posuerimus nos necessarias dispositiones. Ergo etc.

Solvuntur Objectiones.

184. *Ob.* Apostolus ad Rom. cap. VIII. v. 38. inquit: *Certus sum quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quae est in Christo Jesu Domino nostro.* Ergo certi, certissimi sumus de nostra iustificatione. Sed certi sumus ex doctrina Apostoli, quae procul dubio fuit divinitus revelata. Ergo dicendum, quod certitudine fidei id credere debemus.

℟. Nihil aliud in objecto loco Apostolus significare voluit, nisi quod sub auxilio gratiae, si illi assentiri, et cooperari velimus, nulla exterior vis, nulla tentatio, nulla persecutio erit, de qua non poterimus triumphare. Et id clare patet ex praecedenti v. 27.: *Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos.* Unde vox illa *certus sum*, ut dicit Jacobus Tirinus in hunc locum, non designat omnimodam, et absolutam certitudinem, sed solum ex parte Dei, divinaeque providentiae: ex parte autem nostra nonnisi conditionatam, si scilicet Deo cooperari velimus, et ab eo non divellamur. Et idem addit, quod in hoc loco, et etiam ad Hebraeos cap. VI. et in II. ad Timoth. cap. I., vocabulum graecum ex mente Apostoli idem est, ac *persuasum habeo*, *spero*, *confido*, ut hic legit S. Ambrosius, Hieronymus etc.

185. Atqui Apostoli sensus est, quod certitudine fidei credere debemus, quod ex omni parte justificati sumus. Ergo n. r. *Prob. subs.* Apostolus ibidem v. 15. et seq. dicit: *Non accepistis Spiritum servitutis in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater).* Ex quibus sic fas est argumentari. Ex doctrina Apostoli, quae est certa certitudine fidei, debemus credere, quod non amplius habemus spiritum timoris, sed habemus Spiritum adoptionis filiorum Dei. Sed qui habet spiritum adoptionis, et est filius Dei, necessario, et ex omni parte debet esse justus. Ergo etc.

℟. Utique secundum hanc Apostoli doctrinam debemus credere, quod per Christi Redemptionem deposuimus spiritum timoris, et servitutis, et accepimus spiritum adoptionis filiorum Dei. Sed, iterum dico, id de fide certum est, et infallibile tantum respectu Dei, non vero ex parte nostri, num scilicet omnes, et rite a nobis servatae sint conditiones, quas Deus apposuit ut necessarias ad assequandam adoptionem, num videlicet respondemus illius gratiae, et omnes habeamus dispositiones. Et id, quia non absolute, et independenter a nostra voluntate Deus disposuit oeconomiam nostrae aeternae salutis. Unde sicut qui adoptionem filiorum sub opposita conditione ab aliquo Domino acceperunt, certi quidem sunt de hujusmodi promissa adoptione ex parte Domini, sed non item ex parte sui si revera assequentur: ita certi sumus, et quidem certitudine fidei, quod per Christi Redemptionem, dimisso spiritu timoris servorum, accepimus spiritum filio-

rum Dei ; sed non eadem tamen certitudine credere possumus , quod de facto justi sumus , et infallibiliter assequemur Dei Patris haereditatem.

186. *C.* Atqui etiam ex parte nostra certitudine fidei debemus credere, quod vere sumus filii Dei. Ergo n. r. *Prob.* Apostolus post laudata verba subdit. *Ipse enim Spiritus* (Sanctus in nobis habitans) *testimonium reddit spiritui nostro*, *quod sumus filii Dei*. Sed certitudine fidei debemus credere Spiritui Sancto. Ergo etc.

℟. *Dist. min*. Certitudine fidei debemus credere , quod Spiritus Sanctus habitat in hominibus , qui per Christi redemptionem assecuti sunt justitiam , et sunt propterea filii Dei adoptivi , concedo : fide divina debemus credere , quod quisque nostrum revera in se habeat Spiritum Sanctum , qui testificatur de assecuta justificatione , *nego min*. Ergo etc. *nego cons*. Quaestio non est , num Spiritus Sanctus habitet in hominibus justis , et hi sint filii Dei adoptivi. Quippe hoc certitudine fidei credimus , sicut eadem quoque certitudine credimus illis veritatibus , de quibus Spiritus Sanctus testificatur. Et propterea concedimus quoque, quod Spiritus Sanctus in hominibus justis habitans illis testimonium infallibile reddit , quod sunt filii Dei. Sed quoniam sine speciali revelatione nemo certo scire potest in se habere Spiritum Sanctum , et illum esse , qui in nobis loquitur, et non potius ab aliquo phantasmate illudimur ; idcirco nullus certitudine fidei Divinae potest, et debet credere , se esse justificatum. Itaque Catholici non dubitant de veracitate testimonii Spiritus Sancti ; sed solum si Spiritus Sanctus sit , qui testificatur in nobis , quod de facto sumus filii Dei.

187. *C.* Atqui unusquisque nostrum certo cognoscit, si Spiritus Sanctus est, qui loquitur in nobis. Ergo n. r. *Prob.* Idem Apostolus in Epist. II. ad Corinth. cap. ultimo v. 5. ait: *Vos metipsos tentate si estis in fide: ipsi vos probate. An non cognoscitis vos metipsos, quia Christus Jesus in vobis est?* Ergo unusquisque ex seipso potest, et debet certo cognoscere si habet veram fidem, et si Christus, et Spiritus Sanctus in ipso est.

℟. Ludunt Protestantes cum ex laudatis Apostoli verbis deducere conantur, quod ex seipso quisque potest, et debet certo cognoscere, si vere Spiritus Sanctus est, qui in ipso loquitur. Ibi enim, uti ex contextu patet totius capitis, Paulus exprobat Corinthios, qui in dubium ponebant suam missionem, quasi per ipsum, stupendis miraculis, non experti fuerint omnipotentem Christi virtutem. Unde postquam prius v. 3. et seq. dixit: *An experimentum quaeritis ejus, qui in me loquitur Christus, qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis?* Scilicet, quod per me, aeque ac per alios Apostolos, fortis apparet prodigiis, et miraculis? *Nam etsi crucifixus est ex infirmitate: sed vivit ex virtute Dei. Nam et nos infirmi sumus in illo: sed vivimus cum eo ex virtute Dei in vobis.* Scilicet, Christi virtute operati sumus, et operabimur in vobis stupenda prodigia. Et postea subdit verba in objectione allata, quibus in testimonium vocat ipsos Corinthios, qui nisi fidem amiserint, si sint *in fide*, sperat Apostolus, ut cognoscant, ipsum non esse reprobum, sive a Christo rejectum: *Spero autem quod*

cognoscetis, *quia nos non sumus reprobi.* Quinimo dicit, quod sic scribit, ut veniens ad illos non durius agat secundum suam potestatem, quam a Domino habet: *Ideo haec absens scribo, ut non praesens durius agam, secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in aedificationem.* Quid ergo ista cum errore Protestantium, de quo nunc agitur?

188. Instant adhuc. Idem Apostolus, et in eadem Epist. II. ad Corinth. cap. I. v. 12. dicit: *Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae.* Ergo ex Apostolo ex propria conscientia possumus gloriari de assecuta justificatione. Idipsum, et forsan clarius, scribit Joannes in Epistola I. cap. V. v. 13, dicens. *Haec scribo vobis: ut sciatis quoniam vitam habetis aeternam, qui creditis in nomine Filii Dei.* Ergo fides in Christum nos tutos reddit de vita aeterna. Nec videtur dissentire Princeps Apostol. in I. Epist. cap. V. v. 12. dicens. *Breviter scripsi: obsecrans, et contestans, hanc esse veram gratiam Dei, in qua statis.* Ergo Petrus certo sciebat, populos Ponti, Galatiae etc. esse in vera gratia, scilicet justificationis.

℟. Et quidem I. ad verba Pauli, *Gloria nostra etc.*, dicimus quod ibi Apostolus loquitur de sua recta conversatione in mundo, sincere, et humiliter praedicando Evangelium Christi, nullam occasionem praebendo persecutionibus, quas gratia Dei fortiter sustinuerat. Et id patet ex toto illo capite, et praesertim ex verbis, quae immediate sequuntur: *Quod in simplicitate cordis, et sinceritate Dei, et non in Sapientia carnali, sed in gratia Dei, conversati sumus in hoc mundo.*

Ad verba Joannis respondemus, quod ipse generatim loquitur, quod qui credunt in nomine Filii Dei, vitam aeternam habebunt. Et quidem id de fide verum est, quando scilicet fides est vera, et viva, hoc est conjuncta cum Charitate, et ceteris dispositionibus. De hoc nulla est quaestio. Quod enim contra Protestantes propugnamus, illud est, quod nullus, sine speciali revelatione certus esse potest de sua justificatione, quod idem est, ac dicere, quod nemo omnino certus esse potest de vera, et viva sua fide, quae omnes necessarias dispositiones habeat; et eo magis quod non tenetur fide Divina credere, se esse justificatum. Nec tamen negamus, quod dantur signa, quibus probabiliter, at non omnino certo, cognoscere, seu sperare possumus, nos esse in gratia Dei.

Ad ultimum: inepte prorsus ex Petri verbis dicunt protestantes significari certitudinem justificationis Galatiae etc. Ibi enim, ut per se patet, nihil aliud Petrus vult significare, nisi quod in iis, quae breviter scripserat, *breviter scripsi*, continebatur vera summa Evangelii, quod illi populi profitebantur, et in quo firmiter stabant. Ceterum loquitur in genere, non vero singulariter de individuis.

PROPOSITIO XVII.

Justitia non in omnibus aequalis est, nec semper eadem, quinimo et penitus amitti potest per subsequens grave peccatum.

189. Utraque propositionis pars est de fide. Altera quidem contra omnes Novatores, et altera praecise contra Calvinum, ut notatum est (§. 175). Prima haeretica declarata fuit a Conc. Trident. sess. VI. can. XXIV. *Si quis dixerit, justitiam acceptam non conservari, atque etiam non augeri coram Deo per bona opera; sed opera ipsa fructus solummodo, et signa esse justificationis adeptae, non autem ipsius augendae causam; anathema sit.* Et altera sic pariter sancita fuit in eadem sess. can. XXIII. *Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum, qui labitur, et peccat, numquam vere fuisse justificatum: aut contra, posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia; anathema sit.*

90. *Prob.* I. pars ex Scripturis. Proverb. cap. IV. v. 18. scriptum est. *Justorum semita, quasi lux splendens, praecedit, et crescit usque ad perfectum diem.* Item Apostolus in Epist. II. ad Corinth. cap. IX. v. 10. dicit: *Deus augebit incrementa frugum justitiae vestrae.* Tandem Apocalypsis cap. XXII. v. 11.

habemus. *Qui justus est, justificetur adhuc: et Sanctus, sanctificetur adhuc.* Ergo justitia augeri potest, et non semper eadem est, nec in omnibus aequalis.

191. *Prob.* II. ex Sanctis Patribus. S. Hieronymus in lib. II. contra Jovinianum scribit: *Quare dicunt Apostoli: Adauge nobis fidem, si omnium una est mensura?* Sed fides est principium, et radix justificationis. Ergo etiam justificatio est capax augumenti. Sed prae omnibus sit Augustinus, qui in tract. VI. in Joannem n. 8. scribit: *Ipsi spirituales Sancti in Ecclesia sunt alii aliis sanctiores.* Et serm. CLVIII. alit. XVI. n. 5. dicit: *Justificati sumus; sed ipsa justitia, cum proficimus, crescit.* Et sic multi alii.

192. Conf. ratione theologica. Justitia est effectus divinae gratiae, et nostrae cooperationis. Sed non eadem semper est nec gratia, nec nostra cooperatio. Ergo non aequalis in omnibus, nec eadem semper erit justificatio.

193. *Prob.* II. pars. Ezechielis cap. XXXIII. v. 12. et seq. scriptum est: *Justitia justi non liberabit eum in quacumque die peccaverit, et impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua, et justus non poterit vivere in justitia sua, in quacumque die peccaverit. Etiam si dixero justo, quod vita vivat, et confisus in justitia sua fecerit iniquitatem, omnes justitiae ejus oblivioni tradentur, et in iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur.* Quid clarius desiderari potest? Matth. cap. XXV. v. 41. Christus sic monet Apostolos: *Vigilate, et orate ut non intretis in tentationem: Spiritus enim promptus est, caro autem,*

infirma. Procul dubio, cum haec dixit Christus, Apostoli erant justi, si Judas excipiatur. Ergo Apostoli amittere poterant suam justitiam, ut de facto pro semper perdidit Judas, et Petrus ad tempus, quoniam amare flevit, et iterum recuperavit. Et Apostolus in I. ad Corinth. cap. III. v. 16, ait: *Nescits quia templum Dei estis, et Spiritus Dei hab tat in vobis? Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.* Et ibidem cap. X. v. 12. *Qui se existimat stare, videat, ne cadat.* Et sic pariter in multis Sacrae Scripturae locis.

194. *Prob.* II. ex auctoritate SS. Patrum: Et quidem ferme omnes, praesertim Augustinus, Cyprianus, et Ambrosius fortiter contra Montanistas, et Novatores propugnaverunt Ecclesiae facultatem omnia remittendi peccata post Baptismum commissa. Sed per peccata amittitur justitia, et peccatorum remissione iterum acquiritur. Ergo. etc. Et idem Augustinus in lib. *de corrept. et gratia* dicit, quod *si homo jam regeneratus, et justificatus in malam vitam sua voluntate relabitur, esse corripiendum, quia acceptam gratiam suo in malum libero amisit arbitrio.*

195. Conf. theologica ratione. Homo est liber. Ergo assentiri, et dissentire potest Dei gratiae, servare, et non servare praecepta legis. Sed dissentire gratiae Dei, et non servare suae legis praecepta simul stare non possunt cum justitia. Ergo justificatio amitti potest. Sed et quae horrenda absurda non profluunt ex hoc errore Novatorum, quod scilicet amitti non potest justitia semel apprehensa? Unum illud afferimus, quod expendit Gro-

tius in discussione apologiae Riveri, in qua pag. 217. dicit: *Christiani pectoris est horrescere ea dogmata, quae pietati nocent, quale illud est a nonnullis defensum:* pecca fortiter, sed crede fortius, et nihil nocebunt tibi centum homicidia, et mille stupra: *h sunt genuini fructus illius dogmatis, credere quempiam debere justitiam Christi sibi imputari, quasi ipse eam praestitisset: certo se esse perseveraturum: certe et absolute salutem sibi destinatam: peccata fidelium, ut ut magna, et gravia esse possint, non imputari ipsis propter fidem in Jesum Christum: posse eos cadere in crimen majestatis, in homicidium, adulterium etc. et nihilominus eos pro certo habere, se nunquam totaliter, et finaliter excidere posse ex paterna Dei Charitate erga se.*

Solvuntur objectiones.

196. *Ob.* Sanctus Joannes in I. Epist. cap. III. v. 9. scribit: *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit.* Ex quo sic licet argumentari. Ex allato testimonio procul dubio, qui nati sunt ex Deo, sunt justi, et hi non peccant. Sed justi, qui non peccant, non possunt amittere justitiam. Ergo justitia semel apprehensa, nunquam potest amitti.

℟. *dist.* sensum auctoritatis. *Qui natus est ex Deo*, et vult filius Dei permanere, non facit, sive facere non debet, peccatum, concedo: *Qui natus est ex Deo* non potest peccare, si vult; et fieri filius diaboli, *nego.* In objecto capite Apostolus Joannes antithesim instituit

inter filios Dei, et inter filios diaboli, et sicut qui non faciunt justitiam, sive peccant, maxime adversus fratres, sunt filii diaboli, ita qui sunt filii Dei, non peccant, et fratres diligunt. Ergo Joannes potius voluit docere signa, et characteres, quibus inter se discerni possunt filii Dei, et filii diaboli; non vero quod filii diaboli fieri non possint filii Dei, si sub auxilio gratiae poenitentiam agant, aut filii Dei resistere non possint divinae gratiae, et sic fieri filii diaboli. Id per se patet legenti totum illud caput. Et quidem v. 6., ubi dicitur: *Omnis, qui in eo manet, non facit peccatum*, quis non videt, quod sensus est: *qui vult manere in eo, non peccat?* Et clarius apparet ex v. sequenti; *Filioli, nemo vos seducat. Qui facit justitiam justus est, sicut et ille justus est: qui facit peccatum, ex diabolo est.* Nonne hic Joannes hortatur ad sectandam justitiam, et fugiendum peccatum? Ergo in omnibus sive justis, sive peccatoribus pro certo ponit libertatem, quia illi a sua justitia possunt decidere, et hi ad viam salutis converti.

197. *C.* Atqui sensus allati testimonii Joannis est, quod qui justi sunt, non possunt a sua justitia decidere. Ergo etc. *Prob.* Post laudata verba Joannes rationem adducens, cur qui nati sunt ex Deo, scilicet justi, peccatum non faciunt, statim subdit: *Quoniam semen ipsius* (gratia Dei) *in eo manet, et non potest peccare, quoniam a Deo natus est.* Ergo etc.

R. Huic objectioni eadem convenit jam data distinctio: Et propterea respondemus verbis Jacobi Tirini in hunc locum. *Qui natus est ex Deo, idest Dei filius, et*

justus est; non potest peccare graviter, et mortaliter, puta in sensu formali, sive quantum est ex vi illius status, qui quia semen Dei, idest, gratiam tum habitualem, tum actualem, ex quibus quasi ex Coelis semine pullulant omnis generis virtutes (ut Lyranus, Cajetanus, Hugo, et Thomas Anglicus exponunt) continet, reddit justum, quamdiu in eo statu permanere voluerit, impeccabilem modo jam dicto. Sicut status innocentiae reddebat Adamum immortalem. Sed sicut potuit Adam libertate arbitrii peccare, et peccando dejicere statum innocentiae, et sic mori; ita potest eadem libertate justus deserere, ac negligere semen Dei, et ita peccare, et peccando e statu justitiae excidere. Ita S. Augustinus in lib. de gratia Christi cap. XXI.

198. *C.* Atqui laudati Joannis testimonii sensus est, ut qui justi sunt, nullatenus peccare possint, et a sua justitia excidere: Ergo etc. *Prob.* Ibidem, v. 6. Joannes dicit: *Omnis, qui in eo manet* (scilicet justus est) *non peccat: et omnis, qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum.* Ex quibus sic. Ex Joanne eodem modo, quo omnis, qui in Deo manet, sive justus est, non peccat, quo omnis, qui peccat, non vidit, nec cognovit eum, sive non fuit justus. Sed in secunda parte sensus est, quod qui peccat, nunquam fuit justus. Ergo pariter sensus prioris partis est, quod omnis justus, nunquam peccare potest, sive a sua justitia deficere.

℟. *dist.* sensum utriusque partis hujus testimonii. Omnis, qui in eo manet, sive justus est, dum ma-

net ; et manere vult , non peccat , nec peccare debet. Et omnis , qui peccat , non vidit eum , hoc est , actu cum peccat non videt eum , neque cognoscit , et item non recte , et constanter , ut par est , sicut antea vidit , et cognovit ; *concedo*. Omnis justus non potest peccare , neque qui peccat , potuit unquam esse justus ; *nego*. Veritas allatae distinctionis ex dictis clare patet, et invicte confirmatur ex verbis , quae immediate sequuntur , scilicet. *Filioli , nemo vos seducat. Qui facit justitiam , justus est*. Procul dubio illi , quibus scribit Joannes , si non omnes , multi saltem erant justi. Sed monet omnes , ne seducantur. Ergo poterant seduci , sive peccare , et ita a justitia excidere. Item : qui exercet , libere procul dubio , justitiam , est justus , secundum Joannis verba ; non vero justus necessario debet exercere justitiam , secus superflua fuisset Joannis monitio. Sive , opera justitiae facta sub auxilio gratiae sunt causa necessaria , ut homo sit justus ; non vero justus necessario debet facere opera justa , ita ut non possit non facere ; secus enim omnino actum esset de libero arbitrio , id quod tantum alienum est ab epistola Joannis , ut nihil aliud in ipsa contineatur , nisi exhortatio , ut vera charitate homines invicem se diligant. Dicendum ergo etc.

199. *Inst.* Novatores. In Evangelio Joannis cap. IV. v. 13. Christus dixit mulieri Samaritanae. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum. Sed aqua , quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* II. Apostolus ad Rom. cap. VIII. v. 38. dicit. *Certus sum , quia neque*

mors, neque vita etc. poterit nos separare a Charitate Dei, quae est in Christo Jesu Domino nostro. III. Et in I. ad Corinth. cap. XIII. v. 8. ait. *Charitas nunquam excidit.* IV. Et hoc idem habemus ex veteri testamento. Etenim in Cant. Cantic. legimus: *Aquae multae non potuerunt extinguere Charitatem, neque flumina obruent illam.*

℟. Omnia adducta testimonia, et alia similia, intelligenda sunt ex parte Dei, sub conditione tamen, si homo vult suo libero arbitrio constanter cooperari Divinae gratiae. Itaque ad primum. Aqua, quam dat Christus, scilicet sua gratia, non conquoquitur in stomacho, vel corrumpitur, et inde paullatim exsiccatur, ut ceterae aquae, sed eadem semper manet ex parte sua, unde si homines velint, non amplius sitient. Et sic pariter ad II.: Scilicet in hypothesi, quod sincere velimus adhaerere Christi gratiae, nulla exterior vis, nulla tribulatio poterit ab illa nos separare. Et sic, nunquam simili modo non excidit charitas, ut tertio loco objiciebatur. Etsi id accipit quoque possit pro statu aeternae gloriae in quo caetera cessabunt, praeter Charitatem in Deum, quae supra modum augebitur. Et sic tandem indicant verba Cant. Cantic.

200. *Ob.* tandem naturali ratione. Quia Deus perfectissimus est, et aeternus, omnia illi sunt in actu et quae fuerunt, aut futura sunt respectu hominum. Ergo si in homine non eadem semper esset justitia, et magis si illa penitus posset amitti, homines in conspectu Dei essent simul magis, vel minus perfecti, quinimo justi simul, et injusti. Sed hoc absolute repugnat, quia

directe contradicit principio contradictionis, *non potest idem simul esse, et non esse.* Ergo dicendum quod justitia in homine semper eadem est, nec unquam amitti potest per subsequens peccatum.

℟. primo retorquendo, ut dici solet, argumentum. Justitia, juxta doctrinam Novatorum, apprehenditur ab hominibus per fidem, seu fiduciam in Dei promissionibus. Ergo homines antequam per fidem justitiam apprehendunt, sunt injusti, et postea justi fiunt. Sed hoc repugnat, quia sic in conspectu Dei, cui omnia sunt in actu, essent simul justi, et injusti. Ergo repugnat, ut per fidem, seu fiduciam, apprehendamus justitiam Christi. Quinimo repugnat, ut illam Adamus per peccatum amiserit.

Sed respondemus directe. Et quoniam non semel haec ipsa difficultas soluta est, praesertim cum in lib. III. sermo fuit de Dei immutabilitate §. 73. et ejusdem praescientia §. 117; idcirco unico obvio exemplo eamdem nunc solvemus. Qui suae menti praesentem habet historiam alicujus, qui decessit, et cujus vita varia fuit, procul dubio praesentes simul habet virtutes, et vitia illius, ortum simul, vitam, et mortem, quae omnia opposita inter se successive evenerunt. Ergo sic pariter Deo, cui omnia praeterita, et futura sunt in actu, homines sunt simul justi, et injusti, et varia simul est illorum justitia. Nec obstat huic veritati principium contradictionis, quoniam principium illud locum habet in illis, qui operantur, et operando mutantur, non vero in eo, qui simul cognoscit varias operationes, et mutationes, quas successive subit qui operatur.

PARS III.

DE MERITO.

201. Ex hactenus disputatis, praesertim circa gratiam habitualem, sive sanctificantem, facile apparet, quae sit doctrina Ecclesiae Catholicae circa meritum, et quinam sint errores Novatorum. Protestantes itaque ex eodem erroneo principio, quod justitia originalis erat pars essentialis hominis, et non donum supernaturale illi a Deo additum; et propterea, quod per peccatum originale, una cum originali justitia, homo amisit liberum arbitrium: Et quoniam per Christi Redemptionem non revera in se, virtute fidei (fiduciae), et Sacramentorum, extinguitur in nobis originale peccatum; quia adhuc in nobis remanet concupiscentia, quae est peccatum originis, sed solum exterius tegitur justitia Christi; necessario propterea dixerunt, quod omnes actiones hominis, uti effectus naturae corruptae, sunt in se vera peccata, licet per Christi justitiam non imputentur. Quod si in se totidem peccata sunt hominis actiones, etsi ipse per fidem (fiduciam) assecutus sit Christi justitiam, et ex sola Dei misericordia non imputantur, quomodo, etiam assecuta justificatione, homines efficere poterunt adjuti gratia divina, opera meritoria pro vita aeterna? En ratio, cur Protestantes, licet de modo non conveniant inter se, necessario negant oportet existentiam cujuscumque meriti ex parte hominis (§. 54; et 145.)

202. Contra, Ecclesia Catholica opposito innixa principio, quod scilicet status supernaturalis in primo homine non pertinebat ad illius essentiam, sed per gratiam superpositus fuit statui naturali, quapropter amisso penitus per peccatum Adae statu supernaturali, non item amissum fuit liberum hominis arbitrium, sed tantum fuit sauciatum; inde docet, quod satisfacta per Christi Redemptionem Divina Justitia, et sic restituto statu supernaturali in iis, qui sub auxilio gratiae praevenientis, et comitantis, per fidem participant Christi Redemptionem, penitus deletur culpa originalis, etsi remaneat concupiscentia, non quidem ut peccatum, sed ut peccati effectus causatus in statu naturali. Et quoniam propterea docet quoque, hominem per veram fidem in Christum vere interius justificari, non vero exterius per solam imputationem justitiae Christi; idcirco docet etiam, hominem libere agendo sub auxilio gratiae vere promereri ejusdem gratiae augumentum, et demum vitam aeternam. Quinimo, quia illis, qui sic agunt, apertissime haec omnia adpromisit Deus; ideo docet quoque, hujusmodi hominis meritum non esse de congruo, sed de condigno. Non quidem eo sensu, quasi per se hominis actiones, etiam factae sub auxilio gratiae, vere dignae sint tali praemio, et mercede; sed ex Dei promissis, qui sic misericorditer dignatus est nobiscum agere. Ergo propterea dum Ecclesia Catholica dicit nostrum meritum esse de condigno, docet quoque, totum esse ex gratia. Ex gratia, quia nullum debitum erat in Deo, ut haec promissa faceret: Ex gratia quia nullum meritum erat in homine, ut Christus

nos redimeret: Ex gratia, quia sine auxilio Dei prorsus gratuito et praeveniente, et comitante nec Christi fidem suscipere possumus, nec fide suscepta, illius opera possumus efficere. Et en quomodo verum est, quod dicit Doctor Angelicus I. II. quaest. 114 art. I. ad III., quod Deus non simpliciter factus est nobis debitor, sed sibi ipsi, in quantum debitum est, ut sua ordinatio impleatur. Et verum quoque, quod dicit Augustinus ep. CXLIV. c. V. n. 19.: *Cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat, quam munera sua*. Et verum est etiam, quod nostrum meritum totum innititur meritis Christi. Unde manifeste apparet quanta calumnia Protestantes dicunt, quod doctrina catholica circa meritum motivum praebet superbiendi.

203. Haec catholica doctrina circa meritum, sic proponitur a Concilio Trident. Sess. VI. cap. XVI. *Bene operantibus usque in finem, et in Deo sperantibus proponenda est vita aeterna, et tanquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, et tanquam merces ex ipsius Dei promissione, bonis ipsorum operibus, et meritis fideliter reddenda. Haec est enim illa corona justitiae, quam post suum certamen, et cursum, repositam sibi esse, ajebat Apostolus, a justo judice sibi reddendam: non solum autem sibi, sed omnibus, qui diligunt adventum ejus. Cum enim ille ipse Christus Jesus, tanquam vitis in palmite, in ipos justificatos jugiter virtutem influat; quae virtus bona eorum opera semper antecedit, et comitatur, et subsequitur, et*

sine qua nullo pacto Deo grata, et meritoria esse possent: nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est, quominus plene illis quidem operibus, quae in Deo sunt facta, et divinae legis pro hujus statu satisfecisse; et vitam aeternam suo etiam tempore (si tamen in gratia decesserint), consequendam, vere promeruisse censeantur: Cum Christus Salvator noster dicat. Si quis biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum; sed fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam. Ita neque propria nostra justitia tanquam ex nobis propria statuitur: neque ignoratur, aut repudiatur justitia Dei: quae enim justitia nostra dicitur, quia per eam nobis inhaerentem justificamur; illa eadem Dei est, quia a Deo nobis infunditur per Christi meritum. Neque vero illud omittendum est, quod licet bonis operibus in Sacris litteris usque adeo tribuatur, ut etiam qui uni ex minimis suis potum aquae frigidae dederit, promittat Christus, eum non esse sua mercede cariturum: et Apostolus testetur, id, quod in praesenti est momentaneum, et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operari in nobis: absit tamen, ut Christianus homo in seipso vel confidat, vel glorietur; et non in Domino, cujus tanta est erga omnes homines bonitas ut eorum velit esse merita, quae sunt ipsius dona. Et quia in multis offendimus omnes, unusquisque sicut misericordiam, et bonitatem, ita severitatem, et judicium ante oculos habere debet, neque seipsum aliquis, etiamsi nihil sibi

conscius fuerit, judicare; quoniam omnis hominum vita non humano judicio examinanda, et judicanda est, sed Dei, qui illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium; et laus erit unicuique a Deo; qui, ut scriptum est, reddet unicuique secundum opera sua.

Ex hactenus expositis, praesertim ex declaratione *Conc.* Trident. manifeste apparet, quod essentialis controversia inter nos, et Protestantes est, num ex parte hominum existant vera merita, quo modo dictum est, pro augumento gratiae, et praemio vitae aeternae, si in gratia decesserint. Negant protestantes, pro viribus propugnant Catholici. Et propterea sit sequens de fide

PROPOSITIO XVIII.

Justi per bona opera vere merentur augumentum gratiae, aeternam gloriam, ejusque augumentum, si in eadem gratia decesserint.

204. De fide est nostra propositio, quoniam praeter declarationem Conc. Trident. (§. sup.) sic ab eodem in ea ipsa sess. VI. can. XVI. expresse damnatur opposita doctrina Protestantium. *Si quis dixerit, justos non debere pro bonis operibus, quae in Deo fuerint facta, expectare, et sperare aeternam retributionem a Deo per ejus misericordiam, et Jesu Christi meritum, si bene agendo, et divina mandata custodiendo usque in finem perseveraverint; anathema sit.* Et item can. XXVII. *Si quis dixerit,*

hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita, aut ipsum justificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam, et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augumentum gratiae, vitam aeternam, et ipsius vitae aeternae (si tamen in gratiae decesserit) consecutionem, atque etiam gloriae augumentum; anathema sit.

205. *Prob.* ex Scripturis, et I. ex veteri testamento. Geneseos cap. XV. v. 1. Deus dixit ad Abram: *Ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis.* Sed merces supponit meritum. Ergo meritoria erant apud Deum opera Abram. Item, Proverb. cap. XI. v. 18. habemus: *Seminanti autem justitiam merces fidelis.* Rursus; Sapient. cap. V. v. 16. habemus. *Justi autem in perpetuum vivent: et apud Dominum est merces eorum.* Tandem, Ecclesiastici cap. XVIII. v. 22. scriptum est de justo. *Non impediaris orare semper, et ne verearis usque ad mortem justificari: quoniam merces Dei manet in aeternum.*

206. *Prob.* iterum ex novo testamento. Matth. cap. V. v. 12 inquit: *Gaudete, et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in Coelis.* Et ibid. cap. XVI. v. 27. *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis: et reddet unicuique secundum opera ejus.* Et rursus ibid. cap. XXV. v. 34 rationem reddens, cur in possessionem Regni Coelorum invitat electos, dicit: *Esurivi enim, et dedistis mihi manducare etc.* Ergo opera bona merentur

coelestem gloriam. Apostolus I. ad Corinth. cap. III. v. 8 ait. *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* Et in Epist. II. ad Timoth. cap. IV. v. 7 dicit de seipso: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* Tandem Apocalypsis cap. ultimo v. 12. habemus: *Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua.*

207. *Prob.* ex Sanctis Patribus. Una voce Patres Latini, et Graeci hanc docent veritatem. Sed paucos seligimus. Itaque S. Hieronymus lib. II. contra Jovinianum, scribit: *Jam nostri laboris est pro diversitate virtutum, diversa nobis praemia praeparare.* S. Augustinus in Epist. 105. ad Sixtum ait: *Nulla ne sunt merita justorum? Sunt plane, quia justi sunt sed ut justi fierent, merita non fuerunt.* Et S. Thomas in I. II. quaest. 114. art. III. sic scribit suo Angelico more: *Id quod redditur secundum justum judicium, videtur esse merces condigna: Sed vita aeterna redditur a Deo secundum judicium justitiae, secundum illud II. ad Timoth. IV. in reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex. Ergo homo meretur vitam aeternam ex condigno.* Et in eodem art. distinguens opus naturale ab operibus factis sub auxilio gratiae, sic de his dicit: *Si autem loquamur de opere meritorio, secundum quod procedit ex gratia Spiritus Sancti, sic est meritum vitae aeternae de*

condigno. Sic enim valor meriti attenditur secundum virtutem Spiritus Sancti moventis nos in vitam aeternam, secundum illud Joannis IV. fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam. Attenditur etiam pretium operis secundum dignitatem gratiae, per quam homo consors factus Divinae Naturae, adoptatur in filium Dei, cui debetur haereditas ex ipso jure adoptionis, secundum illud Rom. VIII. Si filii, et haeredes etc.

208. *Prob.* theologica ratione. Justi per bona opera vere merentur augumentum gratiae etc. si verum debitum sit in Deo haec omnia illis retribuere. Sed res ita se habet. Ergo etc. *Prob. min.* Qui aliquid sincere promittit, etsi gratuito, et sine ulla obligatione id faciat; ex eo tantum, quod promisit; verum debitum contrahit, et verificata conditione, si apposuit, promissa solvere debet. Sed Deus, ut dictum est, sincere promisit augumentum gratiae, et gloriam aeternam, et quidem veluti praemium, et mercedem bonorum operum, et coronam meritorum. Ergo verum debitum est in Deo etc. Nec valet dicere, quod ex sola misericordia, nullis praecedentibus nostris meritis, et ne quidem de congruo, nos creavit, contulit gratiam, et sub conditione nostrae cooperationis promisit haec omnia, quae ex vera justitia homines praestare debent, quia promissio, ex quocumque titulo, et motivo facta, semper veram obligationem inducit in promittente. Unde Augustinus serm. XVI. *de verbis Domini*, dixit: *Redde quod promisisti, quia fecimus, quod jussisti.*

209. *Coroll.* Ex dictis sequitur, meritum justorum

dici posse, et debere de condigno. Non quidem quasi in seipsis illorum bona opera inspecta valorem habeant proportionatum vitae aeternae; sed quia libera voluntate posita sub auxilio gratiae, et sic ex gratuita voluntate, et promissione Dei, participant infinitis Christi meritis; quibus, veluti pro mercede, et corona aeterna gloria retribuatur.

Solvuntur Objectiones

210. *Ob.* Omni genere argumentorum impetunt Protestantes nostram catholicam doctrinam: scilicet ex Sacris Scripturis tam novi, quam veteris testamenti, ex auctoritate SS. Patrum, et ex theologica ratione. Ex his quae praecipua sunt, breviter solvemus: et quidem primo ex veteri testamento. Isaiae cap. LV. v. 1. Scriptum est: *Omnes sitientes venite ad aquas: et qui non habetis argentum, properate, emite, et comedite: emite absque argento, et absque ulla commutatione vinum, et lac.* Ergo sine ulla commutatione nostrorum bonorum, sed gratis prorsus Deus nobis adpromittit vitam aeternam, quoties per solam fidem ad illum accedimus.

℟. *neg.* illationem, et explicando sensum verborum Isaiae. Itaque allata verba non intelligenda sunt de coelesti gloria, sed de gratia, quae utique sine ullo nostro merito a Deo nobis confertur: verum quoque quod gratia est medium, sine quo nullo modo fas est gloriam assequi: ast si illi libere assentimur, et cooperamur; ex promissione Dei licet gratuita, vere

gloriam ipsam promeremur, veluti mercedem, et praemium ipsorum bonorum operum. Et revera ibidem v. 7. Isaias dicit: *Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus; et ad Deum nostrum: quoniam multus est ad ignoscendum.* Ergo ad salutem aeternam necessaria sunt bona opera facta sub auxilio gratiae, quae non emitur, sed gratis nobis a Deo donatur.

211. *C.* Atqui Isaias loquitur de coelesti gloria, et dicit quod ad illam nullum meritum habent nostra opera. Ergo etc. *Prob. min. subs.* Isaias ipse cap. LXIV. v. 6. dicit, quod omnes justitiae nostrae, scilicet omnia nostra opera facta sub auxilio gratiae, sunt vitiosa: *Quasi pannus mestruatae universae justitiae nostrae.* Ergo etc.

℟. Isaias hic non loquitur de justitia, de qua sermo est, cum dicimus justorum opera esse meritoria; sed conqueritur de suo populo, qui, depravatis moribus, fidebat in suis sacrificiis, ritibus, et caeremoniis quas vocat justitias, ut quae verae justitiae esse debebant signa, et sic veluti justi apparere volebant coram Deo, et hominibus. Reprobat ergo Propheta populi impietatem, et dicit quod ad nihilum valent apud Deum illorum sacrificia, quia foedata erant ab impuro eorumdem corde, et propterea a Deo etiam reprobata; ut jam dixerat cap. 1. v. 13: *Ne offeratis ultra sacrificia vestra: incensum abominatio est mihi: Neomeniam, et sabbatum et festivitates alias non feram, iniqui sunt coetus vestri.* Et hoc ipsum patet

ex contextu verborum tam praecedentium, quam subsequentium, objecti testimonii: praecedentium v. 5: *Ecce tu iratus es, et peccavimus*; et subsequentium et quidem immediate, *et cecidimus quasi folium universi, et iniquitates nostrae quasi ventus abstulerunt nos. Non est, qui invocet nomen tuum, qui consurgat, et teneat te.* Ergo nullimode ad nos pertinent objecta verba Isaiae.

212. *C.* Atqui allata Isaiae verba intelligenda sunt de justitia eodem sensu, quo vos dicitis meritoria opera justorum. Ergo etc. *Prob.* Scripturarum verba intelligenda sunt eo sensu, quo Sancti Patres acceperunt. Sed Patres allata verba acceperunt de justitia, quo vos accipitis, cum meritoria dicitis opera justorum. Ergo etc. *Prob. min.* S. Bernardus hoc sensu laudata verba accepit serm. V. *de verbis Isaiae*, ubi ait: *Nostra, si quae est, humilis justitia, recta forstan, sed non pura, nisi forte meliores nos esse credimus, quam Patres nostros, qui non minus veraciter, quam humiliter, ajebant: omnes justitiae nostrae quasi pannus mestruatae. Quomodo autem pura justitia, ubi adhuc non potest culpa deesse?* Et sic, praetermissis aliis, S. Hieronymus in dialogo I. contra Pelagium, ubi ait: *Tunc ergo justi sumus, quando nos peccatores fatemur, et justitia nostra non ex proprio merito, sed ex Dei misericordia consistit.* Ergo etc.

℟. Prae omnibus forsan Sanctis Patribus, Bernardum et Hieronymum recte sensisse de existentia meriti, luculenter patet ex illis, quae de utroque attulimus §.

204. Quapropter dicimus, quod illorum verba in objectione allata, sicut et similia aliorum Patrum, ut patet ex eorumdem scopo, non intelligenda sunt de merito bonorum operum, quae fiunt a justis, quasi nulla detur justitia: sed potius, quod in hâc vita propter assiduas tentationes, et concupiscentiae motus, aliquando justus ipse delinquit.

213. *Inst.* In Psal. CI. v. 4. scriptum est: *Qui coronat te in misericordia, et miserationibus.* Ergo vita aeterna, quae per coronam hic designatur, non est effectus justitiae, et meritorum, sed solius Divinae misericordiae, et miserationis: et propterea non dantur merita ex parte hominum.

℟. Vita aeterna, seu corona est effectus misericordiae simul, et justitiae, sive meritorum, licet justitia ista et merita suam originem habeant ex Dei bonitate, et misericordia. Est effectus misericordiae, quoniam nullum jus, quinimo nec spem ullam poterant homines habere, ut amissum per originale peccatum supernaturalem statum, et amicitiam Dei, iterum per Divini Verbi Incarnationem, quae nec mente fingi poterat, iterum acquirerent, et id plene satisfacta justitia Dei. Effectus item misericordiae, quia nullo modo ex nobis digni esse possumus gratia praeveniente, et comitante, ut libere amplecti possimus Christi fidem, per quam Christi Redemptione, et meritis participamus. Et misericordiae etiam est effectus, quia sic dignatus est Deus, ut cooperando nos gratiae ejus, justi efficeremur, et digni suae promissionis, sive vitae aeternae. Est autem effectus justitiae, et meritorum, quia sic

Deus dignatus est promittere ; et praestare fidem , et implere promissa , pertinet ad justitiam , et opera , quae fiunt ad adimplendam conditionem promissis appositam inserviunt pro legitimo titulo , sive sufficienti merito , ad promissum assequendum.

214. *Ob.* ex novo testamento. Apostolus ad Rom. cap. VI. v. 23. ait : *Gratia Dei vita aeterna.* Ergo vita aeterna tribuitur per gratiam , non vero per nostra merita.

℟. Vita aeterna , ut §. sup. diximus , est gratia simul , et merces meritorum. Est gratia , quia ex sola misericordia Deus voluit humanam Redemptionem , et sic disposuit oeconomiam nostrae aeternae salutis , ut libere cooperantes suae gratiae mereremur , tanquam pro mercede, et corona, vitam aeternam. Est autem merces et quidem condigna nostrorum meritorum , quia sic voluit Deus , et sic solemniter promisit.

215. *C.* Atqui vita aeterna ita est gratia , ut nullimode dici possit merces nostrorum meritorum. Ergo etc. *Prob.* Apostolus in toto laudato cap. VI. antithesim instituit inter eos , qui inserviunt peccato , et eos , qui inserviunt Deo , et de illis dicit , *stipendium peccati mors* ; et de his , *gratia autem Dei* , *vita aeterna* , et non merces , aut stipendium vitae aeternae. Ergo etc.

℟. Ea de causa Apostolus maluit uti vocabulo gratiae , et non potius mercedis ad significandum exitum eorum , qui Deo inserviunt , sicut antithesis videbatur exigere , quia haec merces justorum primario fundatur in Dei misericordia , ut jam diximus , quia ex sola

misericordia redempti sumus, ex sola misericordia accipimus gratiam praevenientem, et comitantem, qua per veram fidem Redemptionem assequimur, et ex sola misericordia factum est, ut Deus justos voluerit, qui libera voluntate respondent gratiae, et sic pro justitia, quae fundatur in Dei promissis, veluti merces, et praemium eisdem vita aeterna debeatur. Vides ergo, quod licet aeterna vita sit ex justitia merces, et corona bonorum operum, quia tamen haec justitia non est ex intrinseca natura, et valore nostrorum operum, sed ex misericordia Dei, qui sic ex sua infinita bonitate voluit disponere, et sincere promittere; idcirco Apostolus maluit uti vocabulo misericordiae, et non mercedis. Unde Augustinus epist. 105. dicit: *Cum coronat* (Deus) *nostra merita, quid aliud coronat, quam sua dona?* Ceterum Apostolus ipse ad Timoth. cap. IV. v. 8. utitur vocabulo coronae, dicens: *In reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.*

216. *C.* Atqui ex Apostolo vita aeterna ita est gratia, ut nullimode dici possit ex justitia merces, et praemium nostrorum operum. Ergo ec. *Prob.* Apostolus ad Rom. cap. VIII. v. 18. scribit: *Existimo enim, quod non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis.* Ex quibus sic: Ut opera sint meritoria, praesertim cum agitur de justitia, debent esse digna mercede, et haec illis debet esse proportionata. Sed ex Apostolo nostra opera non sunt condigna ad futuram gloriam. Ergo ec.

℟. *dist. min.* Nostra opera non sunt condigna ad

futuram gloriam, si spectentur in se, et separatim a meritis Christi, quorum ex Dei promissionibus efficimur participes, conc.; si considerentur simul cum Christi meritis, et juxta Dei promissa, *n. min.*, *et cons.* Haec distinctio non indiget explanatione, quoniam plus satis dictum est hac super re. Itaque merita nostra innituntur meritis Christi infinitis, et id ex gratuitis Dei promissis: et propterea sunt proportionata vitae aeternae, et etiam ex condigno, positis Dei promissis, licet omnino gratuitis.

217. *Instant.* Atqui, etiam positis Christi meritis, et Dei promissis, nostra opera non sunt meritoria vitae aeternae. Ergo ec. *Prob.* In Evang. Lucae cap. XVII. v. 10. Christus dicit: *Cum feceritis omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite: quia servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* Sed servi inutiles nullam mercedem merentur, nec qui ea faciunt, quae facere tenentur, praemio sunt digni. Ergo ec.

℟. Quantumvis laborent Protestantes, nunquam evacuare poterunt, quae hactenus iterum, atque iterum diximus, quia nunquam negare poterunt, quod promissa quomodolibet facta, ex justitia obligationem inducunt in promittente, statim ac verificatur conditio, si quam apposuit: nec possunt revocare in dubium, quod Deus promisit nos participes reddere meritorum Christi, quae sunt infinita, et inde aeternam gloriam conferre, quoties appositam conditionem, ut scilicet sub auxilio suae gratiae illa opera fideliter praestemus, quae ipse praecepit. Et inde fit, ut licet opera omnia, quae sic Deus praecipit, omnibus titulis ex nobis facere de-

beremus, ita ut, juxta objecta Apostoli verba, facimus quod debuimus, illa tamen faciendo, ex ipsius Dei infinita bonitate, et misericordia vera merita acquirimus. Monet autem Apostolus, ut existimemus nos servos inutiles ad evitandam superbiam, et jactantiam, et ad sequendam humilitatis virtutem, quae tantopere Deo placet.

218. *Ob.* Ex doctrina SS. Patrum Augustini, et Bernardi praesertim. Itaque Augustinus ad illa verba Apostoli ad Rom: cap. VI, *Gratia Dei, vita aeterna*; dicit: *Maluit dicere gratia Dei vita aeterna, ut intelligeremus, non pro meritis nostris, Deum nos ad aeternam gloriam, sed pro sua misericordia, perducere.* Et S. Bernardus serm. 1. de annunt. ait: *Neque talia sunt hominum merita, ut propterea vita aeterna debeatur ex jure, aut Deus injuriam aliquam faceret, nisi eam donaret.* Ergo ec.

℟. Ex superius dictis patet clarissime, quo sensu accipienda sunt dicta Patrum, qui potius Dei misericordiae quam nostris meritis gloriam aeternam tribuunt. Nihilominus ad objecta Augustini verba dicimus, quod S. Praesul agebat contra Pelagianos, qui inficiantes Dei gratiam, contendebant, viribus naturae posse hominem sibi acquirere gloriam sempiternam; et propterea dicit, quod ad illam nos Deus perducit non nostris meritis (naturalibus), sed sua misericordia, sine nostro merito conferens gratiam. Et ipse est sui interpres in epist. 105. ad Sixtum, in qua scribit: *Quid enim habes, quod non accepisti? Quapropter, o homo, si accepturus et vitam aeternam, justitiae quidem*

stipendium est, *sed tibi gratia est*, *cui gratia est ipsa justitia* Et clarius cap. VIII. dicit: *Illa nimirum gratia boni operis*, *cui datur*, *tantummodo gratia est*; *haec autem*, *idest vita aeterna*, *quae illi datur*, *quoniam praemium est*, *gratia est pro gratia*, *tanquam merces pro justitia*, *ut verum sit*, *quoniam verum est*, *quia reddet unicuique secundum opera ejus.*

Ad verba autem Bernardi dicimus, quod eo sensu accipienda sunt, quatenus ex se hominum merita considerata separatim a gratia Dei, et promissis ejus, nullatenus ex jure illis debetur vita aeterna, quasi injuriam faceret Deus non tribuendo: Ast non ita, suppositis conditionibus requisitis, libertate scilicet in homine viatore, gratia sanctificante, et Dei promissionibus.

219. Tandem sic ob. ex theologica ratione. I. Nulla proportio est inter opera hominum, et aeternam gloriam. Ergo nullimode, et multo minus ex condigno, illam promereri possumus. II. Si nostris operibus mereremur gloriam, tunc nobis debitorem redderemus Deum, ut illam tribueret. Sed absurdum, et impium est hoc dicere. Ergo ec. III. Ex vi naturae, ex gratitudine, et justitia, omnia, quae possumus, in Dei honorem, et servitutem facere debemus. Ergo nullum inde meritum habere possumus.

℟. Et quidem ad primum dicimus, quod revera nulla proportio esse potest inter opera hominum, et aeternam gloriam, si illa in se, uti sunt humanae actiones, inspiciantur: ast non ita si considerentur conjunctae cum meritis Christi infinitis. Et quoniam innitun-

tur quoque Dei promissionibus; idcirco, quoties requisitas conditiones nostra opera habent, ipsa revera sunt meritoria coelestis gloriae, et id ex condigno, et justitia.

Ad secundum. Deus fit debitor sibi ipsi, non nobis, quia nostra merita pro vita aeterna sunt ex virtute meritorum Christi, et ex ipsius Dei promissis, non ex virtute nostra propria.

Tandem. Etsi vi naturae omnem servitutem, obedientiam, et obsequium Deo praestare debeamus, uti Enti perfectissimo, et nostro Creatori, et Conservatori, nihilominus ex summa bonitate ipsius factum est, ut haec omnia libere facientibus sub auxilio gratiae ipse ulteriora, et summa dona, veluti pro mercede, promittere dignatus sit, scilicet aeternam gloriam. Ceterum extraneum non est, ut aliquo merito, licet non de condigno, sit illi, qui justitiam exercet: unde Doctor Angelicus art. 1. ad 1. ait: *Dicendum, quod homo in quantum propria voluntate facit illud, quod debet, meretur: alioquin actus justitiae, quo quis reddit debitum, non esset meritorius.*

220. Ex dictis patet, quod meriti objectum est gratia, et gloria, illam supponit, et solum auget, et hanc producit simul et auget: et ex decretis Conc. Trident. quae attulimus §. 201. patet, quod primum de fide tenendum sit. Ast de qua gratia id intelligendum est, de habituali ne, sive sanctificante, an vero de actuali aut de utraque? Quod si hoc verum est de sola gratia sanctificante, id ne intelligendum est respectu solius operantis, an vero quis potest pro aliis mereri gratiam justificantem? Tandem quaeritur, quid sentiendum de gratia finalis perseverantiae?

221. Ad primum respondemus, quod meritum nullimode respicere potest gratiam actualem : et adeo quidem, ut asserere oppositum sit haeresis Pelagianorum, et Semipelagianorum, ut dictum est in prima parte hujus libri. Et quoniam meritum supponit, quod justus sit qui operatur, idcirco dum dicimus, justum mereri posse suae justitiae augumentum, rejicimus tamen, et damnamus cum Concilio Tridentino sess. VI. cap. VIII. posse hominem de condigno mereri gratiam justificationis, juxta sententiam Apostoli ad Rom. cap. III. v. 24. *Justificati gratis per gratiam ipsius.*

222. Ad alterum dicimus, quod est doctrina communis omnium Theologorum, nec non universae Ecclesiae, quod solus Christus, ut Deus homo potest de condigno mereri gratiam sanctificantem, et oppositum videtur prorsus absurdum, quia ad destruendam infinitam peccati malitiam virtus requiritur infinita: nec sufficiens videtur ratio, quod opera justorum, quia innixa infinitis Christi meritis, non repugnat, ut effectum sortiantur infinitum, quia secus haberetur infinitum de infinito, de quo nulla est Dei promissio, sed solum promissio est, ut quisque pro se, ponens necessarias conditiones, participet Christi meritis, et justificetur. De congruo autem, quoniam monemur, ut pro invicem oremus, ut praesertim scribit Apostolus Jacobus cap. V. v. 16. *Orate pro invicem, ut salvemini; multum enim valet deprecatio justi assidua*; id verum esse, comunis pariter sententia est omnium Theologorum.

223. Tandem quoad gratiam perseverantiae, nullibi

in Scripturis legimus, quod de condigno justi illam mereri possint; sed potius contrarium docere videntur, quoniam insinuant, ut cum timore, et tremore nostram salutem operemur. Et a Conc. Trident. sess. VI. can. XVI. sancitum fuit: *Si quis magnum illud usque in finem perseverantiae donum se certo habiturum absoluta, et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit; anathema sit.* Sed convenit tamen inter Theologos, quod possint justi assiduis orationibus illam mereri de congruo fallibili, ut dici solet.

224. Pluries jam diximus, quod aliquae conditiones requiruntur, ut justi ex condigno mereri possint augumentum gratiae, et praemium vitae aeternae, ejusque augumentum; opus est nunc, ut illas explicemus, et vindicemus etiam contra Protestantes.

225. Protestantes itaque firmi in suis erroneis principiis circa gratiam actualem, et habitualem seu sanctificantem, et consequenter, in inficiando merito justorum, et quidem de condigno, pro vita aeterna; necessario alias, quam Catholici, prorsus oppositas conditiones pro merito statuerunt. Quatuor ipsi enumerant. I. ut opus sit omnino perfectum. II. ut nullo titulo sit debitum. III. ut sit nostrum proprium, et non per gratiam participatum. IV. ut proportionem aequalitatis habeat cum mercede. Et en propterea cur omne meritum eliminant ab operibus justorum.

226. Catholici ex adverso, qui de fide tuentur, opera justorum esse meritoria, et quidem de condigno quia participant infinitis Christi meritis, et nituntur Dei

promissionibus, oppositas ponunt conditiones pro isto merito de condigno, quarum aliquae sunt ex parte hominis, nonnullae ex parte operis, et una ex parte Dei. Ex parte hominis sunt duae, ut homo scilicet sit viator, et sit in gratia constitutus. Ex parte operis sunt tres: I. ut opus sit liberum. II. ut sit bonum. III. ut sit supernaturale tum quoad principium, ut proveniat scilicet ex gratia actuali tam praeveniente, quam comitante, cum quoad finem, idest ut dirigatur a Deum veluti auctorem status supernaturalis, ut sic participet Christi meritis. Tandem ex parte Dei requiritur repromissio. Has ergo omnes sigillatim contra Protestantes propugnare oportet. Et propterea sit

PROPOSITIO XIX.

Conditiones ex parte hominis pro merito necessariae, sunt, ut sit viator, et ut in gratia sanctificante sit constitutus.

227. *Prob. prima pars.* Apud Joannem cap. IX. v. 4. Christus dicit: *Venit nox, quando nemo potest operari.* Ergo post terrenam vitam, quae vocabulo noctis designatur, nihil, quod sit merito dignum, operari poterimus. Et idipsum confirmatur ab Apostolo ad Galatas cap. VI. v. 10. *Dum habemus tempus, operemur bonum.* Quid est hoc tempus, nisi terrena peregrinatio? Et jam Ecclesiastes cap. IX. v. 10. scripserat: *Quodcumque potest facere manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec*

sapientia, *nec scientia erunt apud inferos*, *quo tu properas*. Ergo etc.

228. *Prob. altera pars*. Joannes apertissime hanc docet veritatem cap. XV. v. 4. dicens in persona Christi: *Manete in me*, *et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso*, *nisi manserit in vite*: *sic nec vos*, *nisi in me manseritis. Ego sum vitis*, *vos palmites*: *qui manet in me*, *et ego in eo*, *hic fert fructum multum*: *quia sine me nihil potestis facere*. Et Apostolus in I. Epistola ad Corinth. cap. XIII. v. 3. inquit. Et *si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas*, *et si tradidero corpus meum*, *ita ut ardeam*, *charitatem autem non habuero*, *nihil prodest*.

229. Sed et de fide est hujusmodi veritas, quoniam oppositam sententiam solemniter SS. Pontifices proscripserunt. Etenim Pius V. et Gregorius XIII. tres sequentes damnarunt Bail propositiones, scilicet XII. *Pelagii sententia est*: *opus bonum extra gratiam adoptionis factum non est Regni Coelestis meritorium*. XIII. *Opera bona a filiis adoptionis facta*, *non accipiunt rationem meriti ex eo*, *quod fiunt per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei*; *sed tantum ex eo*, *quod sunt conformia legi*. Et XVII. *Sentire cum Pelagio*; *qui dicunt esse necessarium ad rationem meriti*, *ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum deificum*. Ergo etc.

PROPOSITIO XX.

Nullum hominis opus potest esse meritorium pro statu supernaturali, nisi sit liberum a necessitate; sit bonum, et honestum; et sit quoque supernaturale ratione principii, et finis.

230. Prima pars est de fide, quoniam Innocentius X. in Bulla, quae incipit *Cum occasionem etc.* contradictoriam tertiam Jansenii propositionem veluti haereticam damnavit; scilicet: *Ad merendum vel demerendum in statu naturae lapsae non requiritur libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.* Et jam prius Gregorius XIII. proscripserat XXXIX. propositionem Baji, scilicet: *Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit.*

231. Haec autem veritas adeo luculenter patet ex Scripturis tam veteris, quam novi testamenti, ut ferme nulla sit pagina, quae vel praecepta, vel consilia non tradat, quae libertatem a necessitate supponunt, nisi impie blasphemare voluerint Protestantes, quod illusorie semper Deus loquitur. Quapropter nec Scriptura nec doctrina S. Patrum, nec theologica ratione immoramur in hac demonstranda veritate: et praesertim, quia jam satis de hoc disputatum est contra Pelagianos.

232. *Prob. II. pars.* Nullum opus meritorium esse potest apud Deum, nisi Deo gratum sit et acceptum. Sed nihil potest esse Deo gratum, et acceptum, nisi sit juxta suam voluntatem, sive legem; et illud est, et

dicitur justum, et honestum, quod juxta Dei voluntatem fit, et legem, quia repugnat, ut Deus perfectissimus velit quod malum, et inhonestum sit. Ergo etc. Sed notandum est, quod ad veram operis bonitatem, et honestatem, requiritur, ut tale sit ratione objecti, finis, et circumstantiarum, ut fert commune morale axioma: *Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu.*

233. Tertia pars est veluti legitimum corollarium eorum, quae supra vindicavimus contra Pelagianos. Etenim si per originale peccatum penitus amittimus statum supernaturalem, quapropter naturae viribus nihil omnino efficere possumus, quod illius status sit meritorium eique proportionatum, non excluso initio fidei, uti vindicavimus contra Semipelagianos, sed absolute indigemus gratia praeveniente, et comitante, ut declaratum fuit a Conc. Trident. sess. VI. cap. XVI. quomodo meritorium quodvis opus naturale bonum pro vita aeterna, sine principio supernaturale, scilicet sine gratia Redemptoris? Et quomodo pariter meritorium, nisi ad Deum, veluti ultimum finem, referatur? Dicendum ergo etc.

PROPOSITIO XXI.

Ut opus sit meritorium pro statu supernaturale necessario requiritur Dei repromissio.

234. Haec conditio prae omnibus necessaria, ita declarata fuit a Concilio Tridentino ib. sess. VI. cap. XVI. *Bene operantibus usque in finem, et in Deo spe-*

rantibus proponenda est vita aeterna, et tanquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, et tanquam merces, ex ipsius Dei promissione, bonis ipsorum operibus, et meritis fideliter reddenda. Eamdem clare docuit Apostolus ad Hebraeos cap. VI. v. 12. dicens: *Fide, et patientia haereditabunt promissiones.* Et ibidem cap. X. v. 36. *Patientia enim vobis necessaria est: ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.* Et evidenter demonstratur theologica ratione.

235. Et quidem: repugnat omnino, ut opus quodcumque hominis, in se inspectum, dignum sit merito infinito, quo deleatur, et compensetur infinita injuria Deo per peccatum allata; et item ut pro mercede nobis tribuatur coelestis aeterna gloria. Ergo, ut hujusmodi bonorum meritoria sint nostra opera, praesertim de condigno, absolute requiritur Dei promissio, quae ex justitia obligationem inducit in Deo, ut verificatis conditionibus, quas idem apposuit, fidem praestare debet. Ex justitia, inquam, non solum quia sic promisit, et solvere promissa pertinet ad justitiam; sed etiam quia sic, ex promissis ipsis, participamus Christi meritis, quae ex vera justitia commutativa nobis, una cum remissione peccatorum, et adoptione filiorum Dei, merentur gloriam aeternam.

Finis Lib. VII.

INDEX

SEPTIMI LIBRI

DE CHRISTI REDEMPTORIS GRATIA.

Divinae Gratiae definitio, et distributio . . . Pag. IV
Partitio lib. VII. de Gratia Redemptoris VII

PARS PRIMA

DE GRATIA ACTUALI. 8

CAP. I. de Gratiae actualis necessitate 9
Dissertatio I. Exponuntur, et refelluntur systemata Pelagianorum, et Semi-Pelagianorum . . . . ib.
Haereticum systema Semi-Pelagianorum. 11
PROPOSITIO I. Nullum opus bonum dignum vitae aeternae efficere possumus naturae viribus. Sed absolute indigemus Divina interiori gratia praeveniente, et etiam concomitante 15
Solvuntur objectiones 18
PROP. II. Sine gratia nec cognoscere possumus omnes veritates naturales, nec totam naturalem legem servare, nec resistere, et superare graves tentationes . 23
Solvuntur objectiones 26
PROP. III. Gratia Dei tam praeveniens, quam concomitans necessaria est ad initium Fidei salutaris . . 28
Solvuntur objectiones 32
Solvuntur objectiones ex Sanctis Patribus 34
Solvuntur objectiones ex theologica ratione. 36
Dissertatio II. Exponuntur, et rejiciuntur Systemata eo-

rum, qui a sola gratia repetentes nostram aeternam salutem, amissum dixerunt liberum arbitrium per Adae peccatum 40
Summa errorum Lutheri, et Calvini 41
PROP. IV. Per originale peccatum liberum humanum arbitrium non est penitus extinctum: et propterea Lutheri, et Calvini systema de gratia Christi, in quo extinctum asseritur, est falsum, impium, et haereticum. 43
Solvuntur objectiones 48
Objectiones ex D. Augustino 52
Errores Jansenii circa necessitatem gratiae. 58
Erroneum systema Michaelis Baji circa gratiam . . . 61
PROP. V. Non omnia Infidelium opera sunt peccata: quin multa etiam possunt esse moraliter bona, in ordine tamen naturali, non vero supernaturali. 63
Solvuntur objectiones 67
PROP. VI. Sine gratia sanctificante potest homo sub auxilio actualis Christi gratiae opera moraliter bona perficere: et id non solum in ordine naturali, sed etiam supernaturali. Ergo peccata non sunt omnia opera illorum, qui gratia Sanctificante sunt destituti . . . 69
Solvuntur objectiones 72
Doctrina Ecclesiae Catholicae circa gratiae actualis necessitatem 74
CAP. II. Num gratia actualis sit prorsus gratuita . . . 76
PROP. VII. Gratia actualis est prorsus gratuita, ita ut neque de condigno, neque de congruo, ullis naturae viribus possit homo illam mereri 77
Solvuntur objectiones 82
Solvuntur objectiones ex Sacra Scriptura 86
CAP. III. De natura gratiae actualis respectu cooperationis hominum 89
PROP. VIII. Externa gratiae efficacia non ita repetenda est a gratia ipsa, ut nullimode pendeat quoque a voluntate hominum, qui illi assentiri, aut dissentire possint. 91
Solvuntur nonnullae objectiones 9

PROP. IX. Jansenii systema de delectatione victrici pro gratiae efficaciæ prorsus destruit humanam libertatem, et propterea falsum, et haereticum est 97
Solvuntur objectiones 99
Systema Orthodoxorum circa gratiae efficaciam . . . 101
Exponitur systema Thomistarum . . . . ib.
Systema Augustiniarensium 103
Systema Congruistarum 104
CAP. IV. Num Deus cunctis hominibus suam gratiam ad salutem necessariam impertiatur 107
PROP. X. Deus omnibus justis suam gratiam vere sufficientem impertitur, et praesertim urgente praecepto, qua praescripta legis vel immediate servare possint, vel majus proportionatum auxilium a Deo impetrare. 108
Solvuntur nonnullae Jansenii difficultates 109
PROP. XI. Fidelibus peccatoribus non obduratis non deest Dei gratia sufficiens, qua, si velint, possunt a peccatis abstinere, et resipiscere 111
PROP. XII. Probabile est, quod Deus suam gratiam vere sufficientem impertitur etiam peccatoribus obduratis, et infidelibus negativis, qua si veliut, possint salvari. 114
Objectiones contra primam partem 117
Objectiones contra secundam partem 120

PARS II.

DE GRATIA HABITUALI, SIVE SANCTIFICANTE. 123

CAP. I. De causa, et principio justificationis 125
PROP. XIII. Fides, quae est initium justificationis, non est fiducia in Dei promissis, sed notitia Mysteriorum, et firmus assensus doctrinae a Deo revelatae . . . 126
Solvuntur objectiones 129
PROP. XIV. In adultis sola fides non sufficit ad justificationem, sed aliae necessariae sunt dispositiones . . 130
Solvuntur objectiones 133

CAP. II. De natura, et essentia justificationis 138
PROP. XV. Homines non justificantur per solam exteriorem imputationem justitiae Christi, sed per veram interiorem renovationem, et gratiam, ac charitatem, quae per Spiritum Sanctum in illorum cordibus diffunditur, et illis inhaeret 139
Solvuntur difficultates 143
CAP. III. De proprietatibus justificationis 150
PROP. XVI. Non potest homo, sine speciali revelatione, certus esse de sua justificatione: nec fide divina tenetur credere, se esse justificatum 151
Solvuntur objectiones 154
PROP. XVII. Iustitia non in omnibus aequalis est, nec semper eadem, quinimo et penitus amitti potest per subsequens grave peccatum 160
Solvuntur objectiones 163

PARS III.

DE MERITO. 168

PROP. XVIII. Justi per bona opera vere merentur augmentum gratiae, aeternam gloriam, ejusque augmentum, si in eadem gratia decesserint 173
Solvuntur objectiones 177
PROP. XIX. Conditiones ex parte hominis pro merito necessariae sunt, ut sit viator, et ut in gratia sanctificante sit constitutus 189
PROP. XX. Nullum hominis opus potest esse meritorium pro statu supernaturali, nisi sit liberum a necessitate; sit bonum, et honestum; et sit quoque supernaturale ratione principii, et finis 191
PROP. XXI. Ut opus sit meritorium pro statu supernaturali necessario requiritur Dei repromissio 192